
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 B
5



PHYSICA

P. WOLTERI SCHOPEN.

PHYSICA ACROMATICA,

Sivè

DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ,

Super Universam Materiam Naturalem clarâ brevitate & magnâ claritate concinnatæ,

Potissimùm quidem ad mentem Doctoris subtilis Scoti, sed in maximis difficultatibus sententiarum varietate pro genio veræ scientiæ amatorum exornatæ.







AUTHORE

P. WOLTERO SCHOPEN,

DE JULIACO,

Ord. Min. S. Francisci Conventualium, SS. Theologiæ Doctore ac Professore in Conventu Wratislaviensi p. t. studiorum Regente &c.

NISSÆ, Typis Joannis Josephi Krembsl,

ANNO M. DC. XCVII.

DEDICATIO.
ILLUSTRISSIMO EQUITI
AC
DOMINO, DOMINO
BARTHOLOMÆO
GODEFRIDO
De Mattencloitt.

Hæreditario in Grüben & Stanisch, Seren. Principis Francisci Ludovici (Tit.) Magni Magistri Teutonici ac Episcopi Wratisl. Consiliario intimo, nec non supremo Cameræ Ejusdem Directori &c.

PATRONO AC COGNATO
Observandissimo &c.

ILlustrissime Domine, amicitia pauperum certior quàm divitum *Aug. l.* 1. *de amicitia. unde Ambros. de Offic. l.* 3. *ait* frequenter divites sunt sinè amicis, quibus abundant pauperes: *causam præmittens*, quia virtus est amicitia non quæstus: *sed nunquid donec eris fœlix multos*

numerabis? quomodo vera quæ desinere posset? *Ambros. cit. igitur* cùm omnis ratio & institutio vitæ hominum adjumenta requirat, 2. *offic. quid subdolâ ac palpanti adulatione utendum? & sanguine & animo junctum* animæ dimidium *Aug.* 3. *Conf. Patronum eligo, nam* sœpe propter honorem quorundam mutantur & mores, & quos ante conglutinatos stirpe habuerunt, postquam ad culmen honoris veniunt, familiares habere nolunt, *Isid. de summo bono. Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur, vulgus amicitias utilitate probat; non sic Cognate amantissime*, de nostra amicitia omnis tollenda est suspicio (Ηδὲ ποτε &c. *nè sit arbiter inter duos tertius*) tecum enim quasi cum altero me loquor, *Hyeron.*

in

in Epist. non sic inquam, nam nostra conversatio superbiam nescit, qui odit, quæstiones moveat, qui diligit, si minor est, reverentiam deferat: *ecce ego & minor & junior obsequium præsto, sciens quidem* quòd & alia sit via dignitatis, à viris sapientibus & bene à natura constitutis diligi, *at verò sufficit, quod* velle *bene audire à propinquis sit hominis ingenui, ac liberaliter educati* 3. *de finib.* umbra illa honoris alios antecedat, alios sequatur, *Senec.* virtutis fama plus fragrat; quo sœpiùs, velut aroma, frangitur. *Plin. l. 7. sivè ergò ingenio faveant, sivè geniũ foveant umbratici judices*, præstat Evergetas ditare, quàm ditescere *Ælian. quia* melius apud bonos quam apud fortunatos beneficium collocari puto *Cic. 2. offic. quòd si ta-*

 men

men verum est beneficia dare *qui nescit, injustè petit ea, Publ. Syrus*, aut dedecus semper sumere, nihilque dare, *Ovid. convenienter tribuo, quod attribuendum pridem erat*, nil ego quin totum veteris sit gratia facti, *Claud. in Panegyrico probi: habe ergo Cognate Honorandissime* datum quod non est utile, *Eccl.* 20. nisi donum ante principes spatium faciat *Prov. 18. interim* quæ meminisse juvant nostrísq; nepotibus instant, *Valer. Flacc. fortunam cum labore dividant, est enim* rara virtus, quam non fortuna gubernat, *Ovid. l.* 5. *de tristibus, proinde,* cùm sua cúiq; dies, breve & irreparabile tempus, *Virgil. his posteritati contestatos relinquo affectus.*

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Devotissimus
Fr. Wolterus Schopen, de Juliaco,

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ET ecce Physicam acroāmaticam, id est, corpus naturale speculantem, porrigo; at non ab omnibus legendam, siquidem vix Schediasmata docentis & utentis dialectica obtuli, quæ horis subsecivis in eclogario ratiocinij centuriaveram; ab aliis fœliciori fortassis acumine succenturiata audivi; fateor angulares discos (ideas Platonis &c.) ex antiquitatis ruderibus & parietinis conquisivi; sed hæc & ejusmodi spicilegium messis, aut scobem ex aurifodina arbitror, & fortè sagaciori nare leporem odorarem, nisi mallem peliam recoquere, quàm insectari feras; interim si lapides duri sunt, dic ut panes fiant, me enim (*cum Caramuele loquor*) abripiunt nonnullæ opiniones, quas video à Doctoribus reijci, quas tamen tam certas ac claras existimo, ut auderem illas coram Deo juramentô firmare, & carerem formidine, etiamsi summa rerum (*philosophicarum*) ab illarum veritate penderet: *hinc gannire pergant lividuli, credo quòd honorem proloquentur candidi psylli, sententiarum varietatem, & nisi diceretur* (ventos quoque nate caveto) *novitatem ultrò prosequar, nam non placet Aristotelica prata physica gerris subarrandare, quin potiùs epulas sinè alica instruxisse gestiam, si sensibilia indivisibilia sinè promulside pro fundamentis posuero, confidens lemmati*

 petro-

petroniaco, hic spinas colliget, ille rosas; *& antequā turres, quæ his fundamentis insistunt, vento contradictionis exponantur, eadem fundamenta explorari oportebit: scio me habiturum hoc passu adversarios, scio mentem istam exoticam dici, scio mella amara videri ægrotis; at, qui sinceritate & prudentiâ regitur, non illa sed palmatum arguet; Etenim si à sensibus ad mentem transire licebit, angulares isti hactenùs reprobati, facilè in caput anguli erigentur. Cæterùm & si expedit, ùt moriatur unus pro millibus, non sum ego, sed qui venturus est post me, & ante me factus est, ipsa nempè veritas rerum ab initio & ante sæcula creata est, & usque ad futurum sæculum non desinet, de facto autem* il n'y a rien de si aigu, qui ne rebrouche contre le bouclier de la veritè, *inquit quidam ex Aug. vult dicere cum Greg. l. 10. in cap. 12. Job*, quæ falsa sunt vera ostendere, mundi hujus est sapientia, *quod de moralibus dictum ad Physicam transfero, aut magìs ad litteram gallicam, nemo nunc tantæ prudentiæ, qui non erubesceret veritatem eloqui, qui non obmutesceret intuens inexpugnabile scutum sinceri animi; proinde candide Lector rigorem, si quis videbitur in carpendo alios, tuâ mansuetudine temperabis, veritatem verò æquô animô tolerabis, & quæ defectuosa fuerint humanæ fragilitati, sin autem quid laude dignum, Divinitati adjudicabis. Vale*

Censuras & Approbationes vide in Logica utente.

PRO-



PROLOGUS
IN PHYSICAM.

LOgicâ docente, velut instrumendo, sciendi, absolutâ, probam quidem fecimus in materia dialectica plùs ardua quàm jucunda; at modo Physicam, id est, ex græco φύσις *naturæ* indagatricem facultatem tradentes, animum majori dulcedine perfundemus, Ecclef. quidem inquit, quòd *Deus hanc pessimam occupationem dederit filijs hominum, ut de omnibus, quæ sub sole sunt, sapienter investigent*; Os Aureum tamen testatur, tantam hujus eruditionis utilitatem, quantam amænitatem, duntaxat finis extrinsecus non sit vanitati acquiescere, proinde ad Domini gloriam, qui propter se omnia operatus est, nostræ Phyccæ sit fœlix initium.

DI-

DISPUTATIO UNICA.

De Quidditate, Qualitate, & Fine Physicæ.

NOlo quidem compendium Physicæ facere, sed unicam classem scientiæ naturalis, prout eam delineavi ab initio Alphabeti Philosophici, funditùs declarare quippè scholasticam, prout hac ætate in scholis tradi solet.

QUÆSTIO I.

An Physica sit Scientia?

DIco: Physica scholastica est quidem scientia rigorosa, sed non distincta à scientia idearum; ita sentio cum Divino Platone, Socrate, Archisilla, Sensippo, Zenocrate, Palemone, Crate & alijs quos vocant Academicos: Contra modernos philosophos *quoad Nomen*, nam ostendam quòd in re omnes conveniant. Pro quo

Sciendum ac recolendum est ex Logica, quid sit scientia, & quòd omnium rerum essentiæ fuerint æternæ & ideæ (sivè distinctæ à Deo, ùt defendi, sivè indistinctæ, ùt alij) item quòd Plato docuerit non dari scientiam nisi de ideis, & hinc neque Physicam autumat scientiam, nisi in quantum agit de ideis rerum naturalium, cui non solùm ego subscribo, sed & ostendam alios idem

idem docere, quanquam fundamentalia obiter percurrentes velint dici contrarij.

Probatur primò, quòd Physica sit scientia: habitus per demonstrationem acquisitus est scientia, sed, Ergò, &c. Majorem suppono ex Logicá. Minor Probatur: conclusiones physicæ sunt per demonstrationem acquisitæ, sed illæ generant habitum similem, Ergò, &c. Major patet in his, *omne quod componitur ex contrarijs, est corruptibile, sed omne mixtum componitur, &c.* Ergò &c. *omne densum est grave, sed terra est densa, ergò gravis &c.* Confirmatur ex Kirchero: Physica exponit principia, causas & proprietates sui objecti: accedit consensus plurimorum.

Probatur & altera pars: omnis scientia debet habere objectum necessarium, atqui Physica tale non haberet, si esset distincta à scientijs idearum, Ergò, &c. Major est communis, Minor probatur: Physica enim versaretur circa res existentes physicè, at illæ utpotè sensibiles, singulares, contingentes non sunt necessariæ, Ergò, &c.

Respondent velociter Distinguendo Majorem cum probatione: objectum debet esse necessarium quoad essentiam. C. existentiam. N. sic ad Minorem quoque. Contra: hoc ipsum volo, & est quod docuit Plato; sic arguo: Physica non est scien-

tia,

tia, in quantum agit de exiſtentibus phyſicè ac ſingularibus reduplicativè, ſed in quantum agit de eſſentia corporis (ſivè naturalis ſivè mobilis, &c.) ſed eſſentia illa eſt æterna, eſt idea, Ergò, &c. Reſpondent: eſſentiam eſſe ideam in mente Dei. C. platonicam. N. ſed hoc hìc non inquirimus, ſufficit Phyſicam verſari debere circa ideas, ut ſit propriè ſcientia.

Obijcies I. contra primam partem; ſcientia debet eſſe de objecto neceſſario, ſed Phyſica non habet tale, cum agat de corruptibilibus, Ergò, &c. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: neceſſario ſecundùm ideam hoc eſt in communi. C. in particulari. N. Ma: ſic diſtinctâ Minore. N. Conſequentiam.

Inſtabis: etiam corpus naturale vel mobile in communi eſt corruptibile, Ergò &c. Probatur Antecedens: corruptibilitas dicitur de ente phyſico in ſuppoſitione abſoluta, ſicut omnis paſſio de ſubjecto, Ergò etiam convenit illi ſecundùm ideam. Reſpondeo Negando Antecedens, probationem diſtinguo; corruptibilitas in actu ſignato. C. exercita. N. verum quidem eſt de corpore phyſico in communi, quòd quoties phyſicè exiſtat, ſit corruptibile, non tamen ipſe conceptus objectivus corporis: ita dic, quando dicitur agere de ſenſibilibus, ſingularibus, &c.

In-

Instabis: Physica agit de his quæ exercitè sunt corruptibilia, Ergò, &c. Probatur Antecedens: agit de Cœlo, Mundo, elementis, sed hæc sunt exercitè corruptibilia; Ergò, &c. Respondeo, Negando Antecedens, probationis Majorem distinguo ùt supra: agit de idea Cæli, &c. C. de ijs secundùm esse singulare. N. Majorem, &c.

Instabis: saltem aliqua pars Physicæ agit de corruptibilibus exercitè. Probatur assumptum: aliqua pars agit de corruptione; Ergò de eadem in esse exercito, quia non datur corruptio in communi. Respondeo cum Platone, omninò dari ideam corruptionis, quæ est conceptus objectivus.

Objicies II. scientia debet penetrare suum objectum, sed Physica non penetrat suum objectum; Ergò, &c. Probatur Minor: vel enim penetraret prædicata physica, vel metaphysica, quidquid dicitur, repugnat; Ergò, &c. Probatur Minor: si secundum, non distinguetur à Metaphysica; si primum, considerabit sensibilia, sed sensibile non est intelligibile, sicut visibile non est audibile. Respondeo, quòd penetret suum objectum secundùm prædicata physica, quæ sunt sensibilia signatè, id est, si physicè existant, actu sunt sensibilia, tunc tamen adhuc possunt sub alia ratione intelligi,

ligi, nam objectum intellectûs est latius, quàm cujuscunque sensûs organici.

Instabis: Metaphysica considerat rerum essentias; Ergò non Physica. Respondeo Distinguendo Antecedens: rerum quæ nec in communi, nec singulari sunt sensibiles. C. quarumcunque N. porrò videnda est distributio totius Philosophiæ, ex classibus Metaphysicæ firmitas solutionis patebit, nam transcendens agit de naturis abstractissimis, Angelica & Divina quoque de insensibilibus.

Obijcies III. Physica non tantùm est scientia, sed etiá distincta, quia habet distinctum objectum formale, quod est specificativum scientiæ. Respondeo Physicam esse distinctam à scientijs alijs, v. g. Logica Utente, à Metaphysica, Jathrica &c. sed non à scientia idearum, hoc est, ipsa convenit in hoc cum alijs, quòd versetur circa ideas; adeóque habet diversum objectum formale particulare, non autem generale. Obijci solent quædam de accidentibus, sed quoad hæc non inclinor ad doctrinam communem, & in via communi corpus physicum dicitur se habere ad accidentia, sicut linea visualis respectu perspectivæ velut quædam limitatio.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Physica sit scientia speculativa?

DIco: Physica scholastica est scientia speculativa. Ita communior opinio vide præmittenda in Logica. Probatur: illa facultas est speculativa, quæ sistit in nuda contemplatione sui objecti, sed Physica sistit in nuda contemplatione hujus, Ergô, &c. Probatur Minor: eo ipso, quo quis conclusionem physicam dirigit ad praxim, resultat actus alterius facultatis à scholastica, v. g. si quis infert corpus esse corruptibile, & inde motivum in se excitat, quòd corpus sicut omnia sit vanitati obnoxium, elicit actum Theologiæ asceticæ, & sic de alijs, Ergò Physica scholastica sistit contemplando suum objectum. Confirmatur: nullum ens virtute habitûs, vel actûs physicæ scholasticæ potest fieri à nobis, ergò habitus physicus nec simpliciter, nec secundùm quid est practicus, Ergò cúm omnis scientia sit, vel practica vel speculativa, negatô primö sequitur alterum: idem alij proferunt dicentes, quòd nec sit activa, nec effectiva, nec immediatè, nec ordinata ad opus, ergò &c.

Obijcies: illa facultas est practica, quæ versatur circa ea quæ fiunt à nobis, sed

Physica agit de corpore quod generatur, & corrumpitur, Ergò &c. Respondeo Distinguendo Majorem: modô operabili: C. speculativo: N. sic distincta Minore, Nego Consequentiam.

Instabis: Physica versatur circa suum objectum modô operabili, Ergò &c. Probatur Antecedens: Physica complectitur Medicinam, Alchimiam &c. sed hæ facultates versantur modo operabili circa suum objectum, ergò & Physica. Respondeo Negando Antecedens, probationis majorem distinguo: Physica scholastica: N. si sumatur pro Philosophia naturali, quæ multifariam dividitur: C.

Instabis: Ethica tractat suum objectum modô operabili, Ergò & Physica scholastica; Probatur Consequentia, ideo Ethica, quia versatur circa actus voluntatis, eósque dirigit, sed Physica in parte de anima versatur circa eosdem, & dirigit excitando ad amorem Creatoris, Ergò &c. Respondeo quòd Physica ad summum actus voluntatis, quos speculatur, per accidens dirigat: C. per se velut Ethica: N. paritatem.

Instabis: Physica per se dirigit actus practicos, ergò &c. Probatur Antecedens: ordinatur ad similes actus & opus; multi enim utuntur scholasticâ, ut fiant perfecti

Ja-

Jathrici aut Medici. Reſpondeo Negando Antecedens cum probatione, hoc enim eſt per accidens, vel dic eſſe verum de Phyſica conjuncta Medicæ, non verò de ipſa formaliter ſecundùm ſe.

Inſtabis: ad quid ergò erit utilis Phyſica ſcholaſtica, ſi non per ſe ordinetur ad Medicinam, & ſimiles facultates, nec ad amorem Dei, vel proximi? Reſpondeo has debere quidem eſſe fines remotos Phyſicorum, ſed ipſa facit intellectum ſpeculari originem naturalium.

Inſtabis: Concluſiones Phyſicæ ſunt principia Medicæ, juxta illud, *ubi deſinit Phyſicus, incipit Medicus*, ſed principia Medicæ per ſe dirigunt praxim, Ergò & concluſiones Phyſicæ. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: ſub eadem ratione: N. ſub diverſa: C. ad Minorem dico, medicum his uti, ut ſanet corpus, ſcholaſticum ut veritatem agnoſcat.

Inſtabis: licèt ſcholaſtica ſub alia ratione utatur principijs Medicæ, tamen utraq; eſt Practica. Probatur aſſumptum: tota Philoſophia naturalis eſt practica, ergò & ſingulæ claſſes, inter quas eſt tam ſcholaſtica quàm Medica. Probatur Antecedens: Philoſopia naturalis eſt amor rerum naturalium ſciendarum, ergò eſt actus alterius potentiæ &c. ergò eſt practica. Reſpon-

deo Diſtinguendo ultimum Antecedens: Philoſophia acquirenda eſt amor &c. C. acquiſita: N. juxta illud quod bibliothecæ Patavini Collegij in emblemate duplici præfigitur, *ſcientia acquirenda impervia pervadere: acquiſita lumen inextinguibile* in intellectu reſidens.

Inſtabis: etiam Phyſica acquiſita eſt practica, eſtò ſit in intellectu reſidens, tum quia Philoſophia naturalis ùt ſic eſt practica, tum quia omnes aliæ claſſes. Reſpondeo Negando aſſumptum cum probationibus: ipſa enim præſcindit, ſicut animal nec eſt rationale, nec irrationale; deinde non ſequitur, leo, lupus, bos, avis ſunt irrationalia, ergò & homo. Notandum eſt ex Alphabeto, non eſſe idem, Philoſophiam ùt ſic, & Philoſophiam naturalem &c. vide diſtributionem ibi factam, ex quibus & alibi de ſcientia dictis colligere licet, cuinam ſubordinetur, & quas ſibi ſubordinet vel ſubalternet Phyſica.

QUÆSTIO III.

Quid ſit Objectum Phyſicæ?

DIco: objectum Phyſicæ ſcholaſticæ eſt ens ſenſibile. Ita egregij quidam viri diverſarum academiarum Franciſcus Lovanienſis, Bernardinus Patavinus &c. contra torrentem, ex quo alij ſentiunt objectum

jectum esse *ens*: alij *corpus naturale*: alij *corpus mobile &c.* alij *substantiam* loco *entis*, sed hi supponunt principia Aristotelica Physicæ, quibus suppositis facilè assentirem, quin dicerem Thomistas ponentes ens vel corpus radicaliter mobile discrepare à Scotistis ponentibus corpus vel aliud naturale solo nomine, utrinque enim conveniunt illud esse objectum materiale, de quo primaria passio scilicet mobilitas vel similis dicitur.

Probatur primò: pro objecto Physicæ nequit poni corpus vel substantia vel ens naturale vel aliud, ergò ens sensibile. Probatur Antecedens generaliter: nulla scientia probat suum objectum, sed Physica tenetur probare quòd hæc dentur præsertim in sensu Aristotelico, cùm multi ea negent dari, ergô &c. Major patet ex conditionibus in Logica ad objectum requisitis: ex quo patet *ens sensibile* prævalere hoc passu, ante Physicam enim nemo illud negat. Confirmatur: Physica tenetur probare dari materiam, formam &c. imò hæc negant multi, nullus autem sensibilia negat, ergò &c. licèt enim negent sensibilia esse principia, quis tamen eorum existentiam negabit? præsupponitur & de eo *quid sit*, scilicet secundùm ideam esse propriè definibile: tandem & demonstra-

 tur

tur de eo mobilitas, quæ eſt præcipua paſſio, v. g. habens principium internum motûs eſt mobile, ſed ens ſenſibile eſt habens &c. Ergò.

Probatur ſecundò: in Phyſica agitur de principijs, cauſis, generatione, & corruptione, Cœlo, Mundo, Meteoris, & reductivè de Anima rationali, ſed hæc omnia ſunt entia ſenſibilia, imò & reductivè quodammodo anima petens informare corpus ſenſibile.

Reſpondent: hæc eſſe ſenſibilia quoad ſubſtantiam: N. quoad accidentia: C. Contra eſt, quod de ente Phyſico docebo, ex quibus componatur.

Reſpondent: ens ſenſibile eſt objectum prædicationis tranſeat, attributionis: N. Contra: huc omnia referuntur, nam ad Metaphyſicá pertinet abſtractum à ſenſibilitate, ergò ad Phyſicam *ens* ſub ratione ſenſibilitatis. Minùs valet diſtinguere Phyſicam ſecundùm ſe, & ſecundùm Ariſtotelem, ſi enim ille non habet quæ ſunt veritatis Phyſicæ in ſe, quid curandus erit.

Obijcies I. corpus naturale, vel mobile, vel ſubſtantia corporea habent conditiones requiſitas, ergò ſunt objectum. Probatur Antecedens: de ipſis demonſtratur mobilitas, principia, partes &c. Reſpondeo Negando Antecedens, probationem

Di-

Diſtinguo: tanquam de notiori, id eſt, de quo præſupponitur *quòd* & *quid ſit*: N. tanquam de ignoto, & in Phyſica probando tranſeat.

Inſtabis: de his ſupponitur *quod* & *quid ſint*, quia neminem latet dari corpus naturale, & ſufficit ante Phyſicam confuſa ejus cognitio, imò Ariſt. definit jam naturale, jam mobile, ergò ſupponit ipſum eſſe, ergò de ijs demonſtrantur paſſiones tanquam notiori. Reſpondeo Negando Antecedens, niſi cum ente ſenſibili confunderes, aliàs me & plures reverà latent, notiora autem ſunt omnibus nota, quid quæſo difficiliùs, quàm probare principia Phyſicæ Ariſtotelicæ?

Ocijcies II. *ens* nequit eſſe objectum materiale, nec *ſenſibilitas* formale, ergò *ens ſenſibile* nequit pro objecto ſtatui. Probatur Antecedens: ens enim eſt genus remotum, & ſub *ſenſibilitate* non conſiderantur omnia in Phyſica tractari ſolita, velut anima, angeli &c. Reſpondeo Negando Antecedens; ad probationem dico, genus remotum magìs expedire pro materiali ſi eſt notius proximô, & animam reduci ad ſenſibile, imò fortè nec ſpectat ad Phyſicam, niſi per Phyſicam intelligas ſcientiam naturalem in communi, proùt Metaphyſicam complectitur, quo ſpectant

Angeli, & ita Scotum explico 6. metap. q. 1. insuper anima rationalis exigitivè est sensibilis.

Instabis : saltem *ens* nequit esse objectum materiale. Probatur assumptum: neque enim aliquod ens in particulari, quale non est assignabile, neque conceptus entis ùt sic ad Metaphysicam spectans, neq; omnia particularia simul sumpta, cùm non sint unum per se, consequenter nec definibile, nec scibile. Respondeo: intelligi ens in communi, & dico; si consideretur ratio entis summè ac præscisè quod sit considerationis Metaphysicæ, si verò cum ordine ad *sensibilitatem*, pertinet ad Physicam.

Instabis: *ens sensibile* non est definibile, cùm sit unum per accidens, vel accidentia, Ergò nec *ens* cum ordine ad *sensibilitatem* pro objecto est statuendum. Respondeo Negando Antecedens: probatio ad summum valeret de sensibili exercitè sed accidentia supponunt doctrinam illam communem, de qua proximè.

Obijcies III. totus mundus potest statui pro objecto Physicæ, Ergò non ens sensibile. Probatur Antecedens: Supponitur ante Physicam *quod sit*, & saltem confusè *quid sit*, demonstrantur de ipso corruptibilitas, mobilitas & aliæ passiones, imò omnia

mnia quæ tractantur in physica, in ipso continentur, & reduci possunt ad illum. Respondeo Negando Antecedens: tum quia non est sufficienter unum per se, neque datur *ratio sub quâ* consideretur, &c. ex his

Colliges: Physicam Scholasticam distinctam à scientia naturali in communi benè sic definiri, quod sit *Scientia speculativa entis sensibilis.* Explicit pro Logus in Physicam.



TRACTATUS I.

In Primum Librum Physicorum.

SIgnifico Lecturis hunc tractatum, præviè, quòd pro nunc cuncta velim dicta inquirendæ veritatis gratiâ, nam nefas duxi fundamenta obiter cum alijs examinare: nullus ergò carpat, donec singula perstrinxerit, nè feriatur illô: *plurima qui carpit, pauca subinde capit.* Deinde Scotistas remitto ad Tartaretum, qui inquit *opinionem Scotisantium, quòd corpus naturale sit objectum, non esse multùm conformem fidei Catholicæ:* cui non in tantum assentio, sed præmitto, casu quo alius meas sententias judicaret.

DISPUTATIO I.

De Principijs entis sensibilis.

PRimò itaque principia ab alijs poni solita examinabo, deinde propriam mentem explicabo, ut campus detur amplectendi vel reijciendi tùm vetera, tùm nova,

va, meum est adhærere veris, quæcunque illa sint.

QUÆSTIO I.

An, & quid sint principia entis Physici?

DIco: dantur prima principia constitutiva rerum physicarum, quæ benè definiuntur esse illa, *quæ neque ex se invicem, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt.* Ita communiter philosophi veteres ac Moderni. Explicatur conclusio; in qua quæritur primò; an dentur principia entis physici? adhuc enim præscindo quænam sint, & intelligitur de principijs primis intrinsecis, ac propriè constitutivis; ad distinctionem principij, prout significat initium cujuscunque rei, quale est littera A in Alphabeto; & ad distinctionem principij extrinseci, quale est Deus, & aliæ causæ efficientes, ac finales. Tandem ad distinctionem principij *intrinseci non primi*, quale est v. g. corpus, vel anima in vivente, siquidem intelligitur de primis, id est generalibus, ac omnium rerum physicarum intrinsecè constitutivis, & talia dari asserimus, ac benè definiri: *quæ neque ex se, &c.* Sic declarata conclusio patet quoad primam partem: sicut enim in Metaphysicis est genus, & differentia, ita & debent esse constitutiva in quibus res physicæ conveniant, & di-

disconveniant physicè, Ergò debent generalia, ac prima principia entis physici dari, quòd autem data definitio sit bona, præter regulas dialecticas sic suadetur ac

Probatur: quæstio est de primis principijs, sed illa neque ex se, neque ex alijs fiunt, sed ex ipsis omnia: Ergò, &c. Minor Probatur: si ex se, vel ex alijs fierent, non forent simpliciter prima principia entis physici, cùm alia præsupponerent, vel saltem unum aliud supponeret prius; sivè verò ex ipsis omnia non fierent, non essent universalia ac generalia. Confirmatur communi assensu.

Obijcies I. unicum est principium omnium rerum, Ergò non dantur principia rerum sensibilium. Probatur Antecedens: Deus est, vel in Deo est principium omnium rerum, solent dicere Theologi. Respondeo Negando Antecedens: ad probationem dico, hoc intelligi de principio extrinseco, non intrinseco constitutivo.

Instabis: etiam unicum datur principium intrinsecum constitutivum, Ergò, &c. Probatur Antecedens: omnia entia physica conveniunt in ratione sensibilitatis, vel ùt alij naturalitatis, Ergò sensibilitas est omnium rerum physicarum principium. Respondeo Negando Antecedens, probationis Consequens distinguo: Ergò sensibilitas

litas eſt omnium principium formale, & in abſtracto. C. materiale & entitativè unicum ſenſibile. N. Conſequentiam.

Inſtabis: & entitativè eſt unicum principium entis phyſici, Ergò ſolutio ruit. Probatur Antecedens: non poſſunt eſſe plura prima principia, quia ubicunque ſunt plura, unum eſt primum, quod reliqua ſequuntur. Reſpondeo Negando Antecedens, cum probatione; rationem dico eſſe veram in influentibus extrinſecè, non intrinſecè conſtitutivis, v. g. quando ex tribus nominibus fit linea, utique unum eſt primum, ſed omnia tria æquè primò conſtituunt lineam.

Obijcies II. per prima principia intelligitur materia prima, forma, privatio, ſed his non convenit data definito, Ergò, &c. Major eſt communis; Minor Probatur: forma fit ex materia, Ergò ex ſe invicem fiunt; Reſpondeo tranſeat Major (de hac infrà multùm diſcurremus) Nego Minorem: ad probationem dico forma fit vel educitur ex materia ſecundùm illam rationem, qua ex ipſis omnia fiunt. N. ſub alia. C. ſed definitio eſt intelligenda, *quæ neque ex ſe, neque ex alijs* hoc modo fiunt, quo ex ipſis omnia, id eſt conſtitutivè.

Inſtabis: materia & forma componuntur & conſtituuntur ex alijs partibus, Ergò fiunt

fiunt ex alijs eô modô, quo ex ipsis omnia.
Respondeo Distinguendo Antecedens: componuntur metaphysicè. C. physicè. N. hoc est, materia habet quidem prædicata metaphysica, sed ipsa non est compositum physicum, vel physicè composita: si dicas: prædicata metaphysica sumuntur à physicis, proportionaliter verum est.

Instabis: saltem simpliciter erit unicum principium, scilicet materia prima, nam licèt forma, & privatio non fiant ex illa sub ratione illa, qua ex ipsis fiunt omnia, tamen aliô modô ex ipsa fiunt: huic subscribit Lalemandet. Respondeo tamen negando assumptum: nam & materia facta est ex virtute Dei.

Instabis: non est eadem ratio de materia respectu Dei, & forma repectu materiæ, nam forma educitur, & accipit esse quod ante non habuit à vel è materia, at Deus est principium extrinsecum. Respondeo quantum ad præsens paritatem exclusivam esse simillimam, tam enim verum est, quòd materia non sit constitutiva formæ, quàm quòd Deus non sit constitutivum materiæ.

Instabis: privatio fit ex forma & ècontra v. g. ex vidente fit cæcus, & ex cæco videns, Ergò fiunt ex se invicem. Respondeo Negando suppositum, quòd privatio illa

illa quæ oritur ex actione deperditiva sit principium, sed tantùm illa, quæ se habet velùt terminus *à quo.* hinc si dicas, ex nihilo nihil fit, sed privatio nihil est, Ergò, &c. Respondeo: tanquam constitutivo in facto, C. tanquam à termino *à quo.* N. Majorem, hoc est, privatio quidem non est pars constituens actu, sed in mutatione est id, à quo transit subjectum ad formam, v. g. lignum à privatione ignis ad ignem, vel potiùs formam ignis.

Quæri solet, an principia sibi sint contraria? at quia necdum resolvi quænam sint, dico tantùm, quòd illa communia tria, scilicet materia, forma, & privatio, opponantur tum relativè, tum privativè, non autem rectè contraria.

QUÆSTIO II.

Quot, & Quænam sint Principia entis sensibilis?

DIco: Communis sententia post Aristotelem est, quòd principia corporis naturalis in fieri sint tria: scilicet materia, forma, & privatio: in facto esse autem communiter assignantur duo, quippè materia & forma: Hanc sententiam declarabo omni possibili modo, proùt ab alijs fieri solet, tam fundamenta pro roborando, quàm communia contraria communibus re-



reſponſionibus ſolvendo, mentem integram proximè expoſiturus.

Declaratur: primò dicitur *principia corporis naturalis* (vel ſenſibilis vel mobilis &c.) *in fieri*, id eſt ipſius generationis ſubſtantialis (quà mutatio eſt) v.g. quando ex ligno fit ignis, antequam ignis ſit *generatus*, hoc ſignificat: antequam ſit *in facto eſſe*, conſideratur in fieri, hoc eſt, quatenus materia ligni, in qua eſt privatio ignis, conſideratur tranſire à privatione ignis, ad ipſam formam ignis; ex quo patet, quid intelligatur per corpus in fieri, ac facto eſſe: porrò hæc ſunt Synonima, *corpus naturale in fieri, generatio, mutatio, compoſitio ſubſtantialis, factio, via, unitio, vel unio largè ad terminum*: item hæc coincidunt, corpus *in facto eſſe, generatum, compoſitum, unitum &c.* Secundò dicitur: talis *corporis in fieri* eſſe tria conſtitutiva, quæ baptizantur materia, forma, privatio; in facto eſſe duo tantùm, & quidem hæc eſſe prima principia, id eſt omnibus rebus phyſicis convenientia, ita tamen ut materia ſit ſpecificè eadem, ſolô numerô diſtincta, v.g. in menſa, & feneſtra &c. forma verò ſit diſtinctivum unius entis phyſici ſpecificum ab alio; proinde ſupponunt vel etiam obiter probant.

Imò dari *generationem ſubſtantialem & ac-*

accidentalem in rebus naturalibus, v. g. quando paries ex nigro fit albus, vel ſimile quid ſenſibiliter mutatur, dicunt, quòd ſit generatio accidentalis; quando verò paries, vel fornax, vel equus &c. de novo producitur, inquiunt, quòd ſit generatio ſubſtantialis, nam hæc poſterior eſt major priori; Ergò ſi illa eſt generatio ſecundùm quid, & accidentalis, hæc ſubſtantialis.

II. Inferunt: quidquid quinque ſenſibus penetramus, v. g. quòd vides, audis, olfacis &c. debere dici accidens, & ſub his accidentibus in omni re latere ſubſtantiam phyſicam, id eſt *materiam primam*, ac *formam ſubſtantialem*, v. g. in vino præter prædicata Metaphyſica, ac ſenſibilia, dari materiam primam vini, ac formam vini, quorum nihil ſenſu percipis;

III. Docent dari talem materiam primam; ſi petas, quid ſit, an ſit ens ſpirituale ut Deus, vel ſenſibile, ut color, vel metaphyſicum, ùt rationalitas, vel rationis ùt hircocervus, immediatè definiunt materiam, quòd ſit *ſubjectum primum formarum ſubſtantialium*; ſi quæras, quid ſit forma? dicunt quod ſit *actus primus materiæ*, vel ſubſtantia incompleta nata denominare, id eſt actuare ſubjectum, ubi vides eſſe

duas ſubſtantias incompletas, quæ accedente unione faciunt compoſitum phyſicum. His ſuppoſitis

Probari ſolet concluſio primò; dantur principia intrinſeca corporis tam infieri, quàm in facto, ſed alia non poſſunt aſſignari loquendo de phyſicis, Ergò &c. Ita Poncius. Item: illa ſunt principia, ſinè quibus nequit intelligi generatio, ſed ſinè aſſignatis nequit intelligi generatio, Ergò. Ita Hermann & ferè Sannig cum Maſtrio. Confirmatur: data definitio his ſolis competit. Authores alij, quos lego, ſcilicet Sonnenus, Lalemandet, Gabriel à S. Vincentio, Baro, Senffleben, Bouvin, Johro, Geraldinus, Semery, imò & Suarez, Vaſquez, Arriaga &c. plus ſupponunt dari materiam, ac reliqua principia, quàm probant, ijs & coincidentibus cum his duntaxat exceptis.

Probari ſolet ſecundò: non datur unicum principium, cùm in rebus naturalibus detur motus ab uno ad alterum, nec elementa (ſivè quatuor, ſivè plura ponantur) ſunt principia, nec diviſim nec conjunctim ſumpta, quia illa rurſum componuntur ex materia & forma, & fautores hujus opinionis proſcriptos Pariſijs affert Poncius; nec infinitum mobile, nec chaös, nec aliud poteſt eſſe principium ùt inquit Ariſtoteles;

Hæc

Hæc & ſimilia contra Atomos, corpuſcula, figuras, par & impar, tum in manuſcriptis, tùm Authoribus ſunt obviam: ſinè adverſariorum reſponſionibus; ſed an convincant, & an non ſint petitiones principioru fatebitur ingenuus quicunq; ſubdenda legens.

Probari ſolet tertiò: datur materia prima, & forma ſubſtantialis, ſed nihil congruentiùs pro principijs ſtatuitur, Ergò &c. Major Probatur: datur generatio ſubſtantialis diſtincta ab accidentali, ſed hæc nequit intelligi ſinè ſubjecto, id eſt materia, & hæc non poteſt eſſe ſinè forma cùm per ordinem ad illam definiatur, Ergò &c. Sic paſſim per circulum generationem per principia, & principia per generationem probant.

Obijciunt ſibi primò: privatio non eſt aliquid, Ergò nequit aliquid principiare. Reſpondetur Diſtinguendo Antecedens: non eſt aliquid poſitivi: C. privativi N. atque hinc ajunt, non poſſe principiare velut *terminus ad quem*: C. *à quo*: N.

Inſtabis: nequit ſimul eſſe forma, & privatio: ſed hoc ſequeretur, Ergò privatio nequidem velut terminus *à quo* poteſt eſſe principium. Minor patet: quia & forma eſt principium in fieri. Reſpondeo; debere dici, quòd forma principiet per ſe-

cundum modum incipiendi, privatio verò per primum modum desinendi, quæ sunt compatibilia, ùt dicetur quæstione de privatione & quæst. de duratione in fine.

Instabis: forma debet esse principium per primum modum incipiendi, hoc est, *jam forma est, statim ante non erat*, aliàs reverà non esset principium corporis in fieri, sed hôc modô non compatitur privationem, Ergò privatio non est principium. Respondeo Negando Majorem de corpore in fieri; sequelam distinguo: forma acquirenda N. acquisita transeat, nam in fieri est acquisita & incepta secundô modô, hoc est, *jam non est actu, mox erit actu*, quo instanti corpus est in facto esse.

Instabis: correlativa debent esse simul, sed privatio & forma essent correlativa, Ergò &c. subsumo: sed non possunt esse simul. Respondeo ad Minorem primam, & subsumptam, ùt suprà, quòd correspondeant ùt termini *à quo*, & *ad quem*, quorum unus desinit sic. *jam est, mox non erit*; alter incipit, *jam non est, mox erit*, & sic faciliùs quàm alij solvo has ojectiones.

Instabis: saltem privatio non est principium in omni generatione. Probatur assumptum: privatio formæ cœlorum non præcessit introductionem formæ cœlorum, Ergò &c. Respondeo Negando as-

assumptum, ad probationem dicitur præcessisse instanti naturæ, non temporis.

Instabis: si privatio in generatione cœlorum solo instanti naturæ præcesserit, Ergò fuit simul tempore cum forma, nam quæ naturâ tantùm præcedunt, sunt simul tempore. Respondeo Distinguendo Conditionatam: si præcessisset positivè: C. sequelam; si negativè, hoc est, quando fuit forma cœlorum, fuisset privatio, nisi statim ab extrinseco causata fuisset forma, N. sequelam

Instabis: ex contrario nequit fieri contrarium, sed privatio est contraria formæ, Ergò &c. Respondeo totum posse concedi, non enim privatio est principium formæ, sed compositi, sed nec sunt contraria, privatio opponitur velùt terminus *à quo* relativè termino *ad quem*, & est quasi dispositio.

Instabis: ergò etiam forma præcedens, cujus destructio prærequiritur, foret dispositio, ac principium. Respondeo: Negando sequelam, nam hujus destructio non est necessaria, generatio enim potest fieri, quando materia careret antecedenter omni formâ, ùt probabiliùs docent Scotistæ, ac RR. ex dicendis. Si dicas: Deus, unio, finis prærequiruntur. Respon-

deo velut extrinſeca principia, unio autem pro formali eſt corpus in fieri.

Obijciunt ſecundò: Corpus in fieri eſt ante formam, & corpus in facto habet pro termino compoſitum, Ergò forma non eſt principium. Reſpondeo ad primum patere ex dictis: ſecundum valere de corpore, vel generatione quatenus eſt productio: C. quà mutatio: N. ſolutio alibi explicabitur. Obijci poſſunt quædam de unione, ſed illa eſt id *Quo* principia componunt unum; reliquæ objectiones ſunt faciliores, ſed ùt rem funditùs tractemus ſit

QUÆSTIO III.

An reverà dentur principia Ariſtotelica, id eſt Materia Prima, & Forma ſubſtantialis?

DIco: principia entis phyſici ſunt ſenſibilia indiviſibilia, adeóque rationabiliùs defenditur non dari Materiam Primam in ſenſu Ariſtotelis, neque ullam formam ſubſtantialem (exceptâ animâ rationali, ſed hæc creditur eſſe ens ſpirituale) Hæc Concluſio Philoſophicè eſt intelligenda; ex fide tamen ponam argumenta pro, & contra exercitij causâ, & veritatis, ac intelligentiæ veræ habendæ gratiâ, (prout Cenſoribus dixi, nè hi videantur conſentire)

tire) est enim hæc Conclusio contrà Aristotelem, & omnes sequaces philosophos, uno vel altero hinc inde exceptô, quicum plurimis veteribus negant materiam primam in sensu Aristotelico, at principalis pars Conclusionis, quòd scilicet entis physici principia sint sensibilia indivisibilia, fortè nec est visa, nec audita, quòd sciam quoad modum, ac sensum quo tradetur, si tamen eam alij habuerint, estò eos non legerim, exinde ultrò eam confirmabo:

Cæterùm nè Lector vereatur aliquid illiciti, non dari materiam primam docuit Justinus Martyr in confutatione dogmatum Aristotelis; Ramus vocans eam crucem philosophorum, Lactantius Firmianus Lib. 2. div. inst. Theodoretus in Lib. de orig. decre: & refert Gabriel à S. Vincentio Anno 1626. Mediolani defendisse idem P. Glavaronum è Soc. Jesu, Poncius idem de gallis narrat, negant eam quoque Carthesiani, Atomistæ, &c. Dixi autem notanter in sensu Aristotelico ac communi, nam hi omnes, & ego quoque admittimus principia entis physici, at volo illa esse sensibilia, non autem illud Monstrum materia, & forma: ita quoque senserunt veteres quos perperam citat dictus Author; porrò Melissus posuit principium infinitum immobile, Diogenes Mobile &

meliùs, ſupponebant enim mundum æternum; Parmenides finitum, Thales aquam, Heraclitus ignem, Hæſiodus terram, Empedocles, & nuper Camerarius quatuor elementa, Anaxagoras & alij atomos, Carthesius, & ſui, corpuſcula, quæ tamen à varijs variô modô explicantur; inclinant quoque plurimi Medici in eam ſententiam, imò & plurimi philoſophi oppoſitam potiùs ſupponunt, quàm probant, vel propter reſpectus extrinſecos verentur, neſcientes quid defendant, proùt multi mihi ſunt faſſi: addo ex grandi illo Critico Cardinali d'perron dicente, Ariſtotelem optimam Logicam ac Metaphyſicam conſcripſiſſe, at Phyſicam omnino erroneam, puto propter fundamenta; tandem Moderni Veteres non legunt, quibus ego plurimùm laboris impendo; ſupereſt pro roſtris ſtabilire fundamentalem hanc veritatem, & jacula prævisa facilè retorquere.

Probo Concluſionem primò: non datur materia prima, in ſenſu Ariſtotelico, ergò non ſunt principia, &c. hæc omnia concederent, ſi primum antecedens Adverſarijs poſſem perſuadere, quod ſic probo: materia prima nec eſt ens metaphyſicum, ſicut formalitates v. g. rationalitas (ſivè virtualiter dentur) ùt patet, loquimur enim de partibus phyſicis, non metaphyſicis;

ſicis; nec eſt ens ſpirituale, ſicut Deus, Angelus, anima, ùt ex nomine conſtat, & quoque conceditur, nec eſt ens ſenſibile, cùm nullô quinque ſenſuum percipi poſſit, Ergò non datur à parte rei, quid enim aliud eſſet? Confirmatur: non eſt quantitas, nec qualitas, nec relatio, nec ſubſtantia. Nec valet completa. C. incompleta. N. illa enim, quam vocant incompletam ſubſtantiam, vel eſt ens in intellectu, vel extra, tunc vel ſpirituale vel ſenſibile?

Reſponderunt mihi aliquando arguenti; eſſe ſenſibilem mediatè. C. immediatè. N. Contra arguebam: ſi eſſet ſenſibilis mediatè, id foret mediantibus accidentibus, hoc non, ergò nec illud. Probatur Minor: illud eſt ſenſibile mediantibus accidentibus, quod ijs revolutis eſſet immediatè ſenſibile, ſicut patet de tangibili manu mediatè v. g. oſſa in brachio reſpectu cutis quâ ſunt circumducta ſunt mediatè tangibilia, hac ſublatâ immediatè & in omnibus alijs, ſed materia prima revolutis accidentibus nullo ſenſu percipi poſſet, Ergò, &c. Minor patet, cùm non ſciant dicere quonam ex quinque organicis (ſuppono autem accidentia divinitus poſſe à materia tolli.) Nec valet dicere, multa dari à parte rei, quæ tamen nequeunt ſenſibus percipi, v. g. anima, unio, &c. Contra:

 hæc

hæc ſunt ſpiritualia, vel prædicata metaphyſica.

Reſponderunt mihi: nec mediatè eſſe ſenſibilem formaliter. C. radicaliter & exigitivè. N. Contra: anima rationalis eſt ſenſibilis radicaliter, hoc eſt exigit informare corpus ſenſibile, & tamen nequit dici mediatè ſenſibilis, ſed manet entitas ſpiritualis.

Reſpondent alij: quòd ſit ſenſibilis per ſe. N. per accidentia, ſcilicet quantitatem. C. ſed hi coincidunt cum prioribus: Contra eſt præterea, fingam ego unum ens, quod vocabo *Muſphat*, & dicam illud fovere aliud, quod baptizo *Zaphat*: deinde dicam primum eſſe receptaculum ſecundi, & ſecundum eſſe ſuſtentaculum primi, dicamque hæc duo eſſe in omni ente phyſico velùt principia, aſſeram eſſe mediatè, radicaliter, per quantitatem ſenſibilia, vocabo *Zaphat* faciem *Muſphat*, ſicut illi nominant formam faciem materiæ; præter authoritates tantùm affero quantùm illi.

Reſpondent: authoritates ſat magni ponderis eſſe. Contra: ex 100. Authoribus vix unus eſt, qui non potiùs ſupponit dari materiam, quàm probat, hinc ex conſuetudine vim legis habente recepta eſt.

Probo Concluſionem ſecundò: Adverſarij probant materiam primam, & formas ſubſtantiales, ex generatione & corruptione

ne ſubſtantiali, ſed hæc ratio nulla eſt, Ergò, &c. Probatur Minor: hæc ratio petit principium, Ergò nulla eſt. Probatur Antecedens: non datur generatio ſubſtantialis in ſenſu Ariſtotelico, Ergò, &c. Probatur Antecedens primò ad hominem: Adverſarij probant generationem ſubſtantialem in ſenſu Ariſtotelis ex principijs,& hæc ex generatione per circulum *juxtà illud:impij in circuitu ambulant* criticando, ſicut ſi ego dicerem datur *Muſphat* quia *Zaphat* & ècontra. Probatur idem Antecedens ſecundò: quia quòd ſit major mutatio,quando fit ex lapide & reliquis domus, vel ex ſemine brutum, gratìs dò, quàm ſi ex albo fit nigrum, hinc non ſequitur primam eſſe ſubſtantialem, ſed majorem immutationem ſenſibilium. Probatur tertiò idem Antecedens, & principaliter: nulla creatura poteſt novam formam ſubſtantialem producere, Ergò non datur generatio ſubſtantialis phyſica. Probatur Antecedens: ſi creatura produceret novam formam ſubſtantialem, daretur aliquid ſub ſole novum, hoc non, ergò nec illud: Sequela patet; Minor eſt Eccl. 1. cap. *nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt.*

Reſpondent ſubridendo: quaſi hoc argumentum eſſet levis momenti, & pridem exi-

hæc ſunt ſpiritualia, vel prædicata metaphyſica.

Reſponderunt mihi: nec mediatè eſſe ſenſibilem formaliter. C. radicaliter & exigitivè. N. Contra: anima rationalis eſt ſenſibilis radicaliter, hoc eſt exigit informare corpus ſenſibile, & tamen nequit dici mediatè ſenſibilis, ſed manet entitas ſpiritualis.

Reſpondent alij: quòd ſit ſenſibilis per ſe. N. per accidentia, ſcilicet quantitatem. C. ſed hi coincidunt cum prioribus: Contra èſt præterea, fingam ego unum ens, quod vocabo *Muſphat*, & dicam illud fovere aliud, quod baptizo *Zaphat*: deinde dicam primum eſſe receptaculum ſecundi, & ſecundum eſſe ſuſtentaculum primi, dicamque hæc duo eſſe in omni ente phyſico velùt principia, aſſeram eſſe mediatè, radicaliter, per quantitatem ſenſibilia, vocabo *Zaphat* faciem *Muſphat*, ſicut illi nominant formam faciem materiæ; præter authoritates tantùm affero quantùm illi.

Reſpondent: authoritates ſat magni ponderis eſſe. Contra: ex 100. Authoribus vix unus eſt, qui non potiùs ſupponit dari materiam, quàm probat, hinc ex conſuetudine vim legis habente recepta eſt.

Probo Concluſionem ſecundò: Adverſarij probant materiam primam, & formas ſubſtantiales, ex generatione & corruptione

ne ſubſtantiali, ſed hæc ratio nulla eſt, Ergò, &c. Probatur Minor: hæc ratio petit principium, Ergò nulla eſt. Probatur Antecedens: non datur generatio ſubſtantialis in ſenſu Ariſtotelico, Ergò, &c. Probatur Antecedens primò ad hominem: Adverſarij probant generationem ſubſtantialem in ſenſu Ariſtotelis ex principijs,& hæc ex generatione per circulum *juxta illud:impij in circuitu ambulant* criticando, ſicut ſi ego dicerem datur *Muſphat* quia *Zaphat* & ècontra. Probatur idem Antecedens ſecundò: quia quòd ſit major mutatio,quando fit ex lapide & reliquis domus, vel ex ſemine brutum, gratìs do, quàm ſi ex albo fit nigrum, hinc non ſequitur primam eſſe ſubſtantialem, ſed majorem immutationem ſenſibilium. Probatur tertiò idem Antecedens, & principaliter: nulla creatura poteſt novam formam ſubſtantialem producere, Ergò non datur generatio ſubſtantialis phyſica. Probatur Antecedens: ſi creatura produceret novam formam ſubſtantialem, daretur aliquid ſub ſole novum, hoc non, ergò nec illud: Sequela patet; Minor eſt Eccl. 1. cap. *nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt.*

Reſpondent ſubridendo: quaſi hoc argumentum eſſet levis momenti, & pridem exi-

exinanitum, proinde diſtinguunt text: Salomonis: nihil ſub ſole novum quoad ſpeciem vel genus tranſeat; quoad individuum. N. & dicunt præterquam quòd hic textus plures expoſitiones habeat, eam prævalere, nihil eſſe ſub ſole, cujus non aliquando ſimile fuit. Contra: licèt hæc diſtinctio de rebus metaphyſicis valeat, non de phyſicis, nam inquit nec valet dicere: *hoc recens eſt* ſubintellige hoc individuum: unde addit: *cunctæ res difficiles, quid eſt, quod fuit ipſum quod futurum eſt; quid eſt, quod factum eſt, ipſum quod faciendum eſt*, quaſi diceret, hoc quod ego ſentio, ſcilicet Deum, quando creavit mundum, omnia ſenſibilia & phyſicalia feciſſe, ex quibus proinde nulla perduntur vel de novo afferuntur, ſed fieri continuam immutationem rerum, jam majorem, jam minorem, v. g. ex ſenſibilibus coloratis, figuratis terreis, &c. componitur calx, ex calce & ſenſibilibus lapidum paries, &c. manifeſtum etiam eſt, quòd ſit major mutatio, quando fit ex ſenſibilibus ſeminis, alijs accedentibus embriò, quàm quando quid mutatur à ſenſibili nigro ad album. Nec dicas cum impatientia: quid ergò eſt, quod mutatur? Dico ens phyſicum ſenſibile, non enim eſt opus, ut quando unum ſenſibile variatur, quòd varientur omnia vel æqualia, ſed

juxtà

juxtà proportionem & activitatem horum vel illorum ſenſibilium, quando ergò dicitur nihil eſſe ſub ſole novum, intellige quoad principia phyſica, & dum dicis quotidiè eſſe nova, intellige ex ijſdem principijs de novo conſtituta.

Confirmatur: ratio cur Adverſarij docent debere dari materiam primam hæc eſt, nè cogantur admittere creationem & annihilationem, ſed hæc ratio evaneſcit declaratione factâ, cùm nihil admittam ſimpliciter novi, vel ſimpliciter deſinere, ſed tantùm fieri immutationem continuam ſenſibilium.

Reſpondent: hæc eſſe periculoſa apud Catholicos. Contra: hanc reſponſionem ſæpè accepi, dum præſiderem theſibus, vel aliàs oppugnarem, & ſignatè aliquando dicebatur Concilium Trid. aſſerere materiam primam, ſed mihi contigit idem, quod Caramueli cum Pragenſi Patre Terillo Soc. JEſu in materia de concurſu ſimultaneo, ſcilicet poſtulavi locum, at ubi nihil miſit prout ſpoponderat, invitatus contuli Triden. ex quo probavi non dari materiam: præmitto canonem ſecundum de Euchariſtia ex ci. Concilio.

Si quis dixerit in Sacramento Euchariſtiæ remanere ſubſtantiam panis

&

& vini, una cum corpore & ſanguine Domini Noſtri JEſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini; Anathema ſit.

Ex hoc ergò Canone, ex quo Senffleben & alij probant dari materiam primam, ego probavi non dari illam, mirabile videbatur & fortè videtur adhuc; ſed ſic argumentor:

Si daretur materia prima, ſola ratio poſſet diſcernere inter hoſtiam conſecratam, & non conſecratam, hoc ſecundum repugnat fidei, & experientiæ, ergò primum rationi (pone enim, ſicut poſui, tales duas hoſtias nec Ariſtoteles ipſe, nec alius niſi divinando diſcerneret) Probo ſequelam: ſola ratio deberet aliquid invenire in una, quod non in altera, ergò diſcerneret. Probatur Antecedens: niſi enim hoc fiat, & ſi æqualia inveniat, cùm in una non ſit materia ex Canone, nec in altero erit.

Reſponderunt: poſſet diſcernere in ſenſu compoſito fidei: C. diviſo: N. Contra ego addebam: ſola ratio; ecce qualis diſtinctio.

ſtinctio. Confirmatur: ſolus intellectus ſibi relictus nunquam plus inveniet in una, quàm in altera, ergò vel invenit in utraq; materiam (quod eſt falſum ex Canone) vel in nulla.

Reſponderunt retorquendo argumentum: quidquid ſola ratio vidit in Chriſto erat humanitas, Ergò in Chriſto non fuit divinitas: non ſequitur, ſed præterquam quòd in Chriſto juxtà alios fuerint ſigna divinitatis, ſcilicet notitia ſecretorum cordis, &c. & quòd etiam nulla ratio unionem hypoſtaticam invenerit, nulla eſt retorſio vel paritas, ex hoc principio *Non ſequitur*, non eſt tali modô reperibile, Ergò nullô modô reperibile, v. g. divinitas in Chriſto non eſt ratione demonſtrabilis, ergò nullô modô, *Non ſequitur*, at benè *ſequitur non eſt ibi*, Ergò nullô modô inveniri poteſt ibidem, v.g. in hoſtia non conſecrata non eſt materia, Ergò nequit ullô modô in illa inveniri. Probatur Antec. intellectus purus nihil invenit plus, quàm in conſecrata, Ergò reſpectu puri intellectûs non eſt plus in una, quàm in altera. Reſpondebunt ſaltem rationem conjunctam fidei arguitivè materiam evincere, ſed de hoc in objectione.

Reſpondere poſſent non valere conſequen-

quentiam: *Sola ratio non invenit, ergò nullô modô est*; nam ſola ratio non invenit in Chriſto divinitatem, & tamen in illo eſt. Contra: licèt totum hoc ſit verum, non eſt hujuſmodi proba mea; ſed talis: ſola ratio non invenit in hoſtia non conſecrata materiam, nec fides illam docet eſſe in hoſtia non conſecrata; Ergò in tali hoſtia non conſecrata non eſt. Probatur Antecedens: quoad primam partem: quia nequit diſcernere inter conſecratam & non conſecratam; quoad alteram patet, cùm non ſit Articulus fidei.

Reſpondent: ſaltem colligi ex fide, ſcilicèt Canone ſecundo Trid. allegato; ſed imprimis habebo quod poſitivè intendo, ratione philoſophica non evinci materiá, deinde ex ſequentibus ponderandum erit, an ex Canone convincatur.

Reſpondere poſſent & quidem optimè; quando ſola ratio verſatur circa hoſtiam conſecratam, quòd tunc erret, putando non eſſe corpus ibidem cum tamen ſit; ſed hoc rurſus eſt pro me: Contra enim ſic arguo: aliter erramus, quando aliquid putamus non eſſe, quod eſt; quàm ſi putemus eſſe, quod non eſt, primo caſu non valet à propoſitione categorica abſoluta univerſalis illatio v. g. *non eſt hic homo A, ergò non eſt homo*; at bene ſecundo caſu, *non eſt homo, ergò*

ergò nec ille, nec talis homo, &c. Sic etiam non valet: *ratio non invenit corpus, ergò non est:* malè infertur, docet enim illud esse fides; at benè sequitur; *Fides non docet in hostia consecrata materiam, nec ratio conjuncta fidei illam invenit, nec ratio sola, ergò nec ratio sola in non consecrata, nisi discerneret.*

Responderunt alij: hoc esse argumentum commune; sed hi se monstrant idiotas, ostendant Authores in quo sit, nam non est idem cum illo, quo utuntur alij objectionis locò, scilicet isto, per quod

Probo Conclusionem tertiò: quando hostia consecrata combureretur, vel aliter mutaretur, juxta Adversarios fit generatio substantialis cinerum, vel alterius; sed ibi non est materia, ergò nec in alia mutatione.

Respondent: Negando Minorem; proinde aliqui dixerunt tales cineres fieri ex aëre circumstanti, non ex hostia; alij ex materia panis redeunte; alij ex toto pane redeunte; alij cineres illos creari à DEO; alij saltem materiam novam creari à Deo; alij quantitatem sensibilem supplere, & quidem hi meliùs, sicut semper puto fieri; reliqui miracula quotidiana multiplicant, & philosophiam ludibrio exponunt, vide Alensem, Suarez, Coninck, Pallavicinum, do-

docentes produci materiam eandem tali casu, quæ ante consecrationem fuit, quorum sententiam ipse S. Thomas in 4. d. 12. art. 2. irrationabilem vocat &c.

Confirmatur: si esset de fide etiam arguitivè, quomodo Justinus Martyr eam negasset? deinde ego potiùs volo dicere, quòd Aristoteles, & cum eo puri philosophi erraverint, excogitando talia principia, per circulum vitiosum probata.

Respondebunt fortè: circulum esse vitiosum in absolutis: C. relativis: N. ut quoque videor in utente Logica docuisse. Contra: materia & forma ex Sco. in 2. d. 1. q. 5. non sunt entia relativa, licèt per ordinem adinvicem pro statu isto soleant explicari: & Sco. d. 12. q. 1. defendit entitatem materiæ esse absolutam, potentiam ad summum esse passionem: & hôc datô, quòd relativa forent, circulus admittitur quoad *quid sit*, non *quòd sit*.

Probatur Conclusio quartò contra partes: Scotistæ & Patres Societatis fatentur, quòd in Sententia Thomistarum negantium actum entitativum, materia nihil sit distincti à forma, adeoque se solo ens nullum esse: Thomistæ verò facilè coincident mecum, quòd quando alij actum entitativum admittunt, sola prædicata metaphysica afferunt, imò hoc Sco-

tistæ

tistæ & alij palàm indicant, Ergò materia prima Aristotelica physicè nihil est. Confirmatur: priores volunt posse se solâ existere, sed nescient dicere, quo sensu perciperetur; posteriores negant posse existere etiam divinitus sinè forma.

Probatur quintò Corollarie: quidquid ratio suadet, & sensus percipit, salvatur dicendo sensibilia indivisibilia esse principia constitutiva entis physici, neque alia congruentiùs ponuntur, lege Atomistas, Corpuscularios & alios, nisi hi coinciderent, Ergò &c. Probatur Antecedens: ita censendum est de principijs generatim, sicut de singulis seorsim: sed reverà in ligno, lapide, calce, &c. non est aliud ens physicum nisi sensibilia, Ergò &c. Probatur Minor: tum quia non est necessitas aliud ponendi, ùt ultrò ex objectionibus patebit; tum quia nec intelligibile; tum quia Mundus est totus plenus, sinè ullo vacuo: Ergò nihil novi fit quoad principia, sed continua immutatio sensibilium; imò mille paradoxa sequerentur, v. g. materiam totius Universi esse unam numerô, casu quo Deus omnes formas substantiales, & accidentales absolutas perderet, proinde, & modò una numerô esset; deinde nec foret entitas physica in Mundo, sinè materia, & tamen absconditissima, imò fa-

cies ejus, vel forma æquè imperceptibilis est; rursus quis diceret vinum esse aliud, quàm quod odoro, gusto, video, tango, imò hæc sunt ea quæ inebriant, ùt patet si quis biberet species in quantitate, & tamen juxtà communem illa sunt tantùm accidentia, nihil substantiæ vini; autècontra ædifica, destrue singula sensibilia domûs; quid remanebit. Musphat, Materia, unum grande nihil; Ecce quomodo Deus tradidit mundum disputationi.

Respondit: ex solo auditu, quòd doceam non dari materiam primam, aliquis P. Carmel. Lector, in Silesia me esse stultum: sed contra: *vir ille reus est judicij* Matth. 5. cap. deinde *nos stulti propter Christum*, Imâ ad Corinth. insuper Aug. serm. 8. de verbis Domini, *dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, dic te stultum & sapiens eris, sed dic, dic, & intùs dic, quia sic est ùt dicis*: sed remitto virum hunc ad meam dialecticã, in qua de ijs mentionem facio, qui inter pocula disputant, nam id quoque contra modestiam simili occasione factum scio; *debitores sumus sapientibus, & insipientibus* inquit Apost. *mihi autem pro minimo est, ùt à talibus judicer.* l. c. cap. 4. plura reservo in futurum.

Obijcies I. ad hominem, sicut de ideis; addes, volens ultrà tot, & tanta ingenia sa-

ſapere meritò inſipiens, vel ſtultus cum illo P. Carmel. dicendus eſt, hæc & cætera exaggerabunt aliqui oratoriè: quibus pro nunc Reſpondeo: præter ea, quæ de ideis in ſimili objectione in Logica dixi; nomine alterius, *Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſrael in Jeruſalem, & propoſui in animo meo quærere, & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub ſole; & Ecce Univerſa vanitas, & afflictio ſpiritûs, perverſi difficile corriguntur, ſtultorum infinitus eſt numerus*: hinc nec me excipiendum puto, nec alium includendum volo.

Obijcies II. fundamenta Ariſtotelis & aliorum: datur generatio ſubſtantialis, ſed hæc nequit fieri, vel intelligi ſinè ſubjecto, id eſt, materia, ac nova forma, Ergò datur materia prima, ac reliqua principia communia. Major conſtat experientiâ, quando ex ligno fit ignis, producitur nova ſubſtantia, ſed productio novæ ſubſtantiæ, eſt generatio ſubſtantialis, Ergò &c. Poncius advertit quoque imbecillitatem argumenti; Ego autem Reſpondeo: Negando Majorem, vel illam diſtinguo: datur generatio ſubſtantialis in ſenſu Ariſtotelis: N. ſi per illam intelligatur immutatio ſenſibilium: C. Majorem, ac Probationem; ſed nihil infertur.

Colliges: qui negat materiam primam Ariſtotelicam, neceſſariò & negare for-

mas: (exceptâ animâ rationali) imò & accidentia in ſenſu ipſius; illa entia, quæ vocant accidentia, admitto quidem; ſed nolo quòd dicantur accidentia, in ſenſu Ariſtotelis : licèt enim poſſint adeſſe, & abeſſe plùs minùs, tamen non ſubjectantur in materia vel forma Ariſtotelica, vel compoſitio *ex his*; item hac viâ incedentes nequaquam generationem, ac corruptionem in ſenſu peripatetico admittere poſſunt, ùt patet intelligentibus; hinc tamen non nego; quòd producatur, vel generetur ignis, arbor, homo, ùt mihi frivolè imponeretur; ſed tantùm volo, quando hæ productiones fiunt, quòd non ſit alia cauſa quàm ſenſibilis inter creatas, & quòd nec ſit aliud ſubjectum quam ſenſibile: idem eſt de forma; porrò poſſem admittere etiam materiam primam, at non Ariſtotelicam, nolo tamen uti hoc nomine, nè ad principia illa declinem, idem rurſus eſt de forma, accidentibus &c. porrò id, quod alij vocant materiam, vel ſubjectum, non capio, quale ens ſit; unde ſenſibilia quædam denominantur, & alia denominant, quod ijs reſpectu diverſorum utrumque competere poteſt; per generationem verò intelligo mutationem ſenſibilium, quæ jam major jam minor eſt; ex quibus ferè omnia ſolves, ſed in forma procedendo.

In-

Instabis : quando ex ligno fit ignis, lignum non annihilatur, nec ignis creatur, ergò fit generatio in sensu Aristotelico : Antecedens constat ; quia nulla creatura potest creare; Consequentia patet: quia si non creetur ignis, dependenter à materia producitur. Respondeo Negando Consequentiam cum probatione, vel dic: produci dependenter à materia sensibili transeat ; aliâ : N. nam creari significat ex nihilo fieri , annihilari sic desinere ut nihil maneat, quod hìc tantùm abest, ut dicam omnia sensibilia, quæ constituunt ignem novum, antecedenter fuisse , & nullum eorum, quod erat in ligno perire simpliciter sed immutari.

Instabis: quomodo ergò dicetur ignis novus ? deinde sensibus constat , quòd quædam accidentia in ligno pereant, puta humiditas, color &c. Ergò quod manet, erit materia Physica, & quod producitur, forma.

Respondeo : sicut quando ex ligno, calce, lapide &c. fit nova domus, cujus tamen antecedenter necesse est omnes partes extitisse, fitque sola combinatio, ac immutatio rerum ; ita mutatis elementis & elementorum sensibilibus, ex quibusdam sensibilibus ignis prioris , accedentibus sensibilibus ligni, fit ignis novus, & ex

 alijs

alijs aëreis, ac aqueis humor &c. Si dicas: ergò elementa sunt principia. Respondeo: velut constitutiva secunda: C. prima N. nam certum est, quòd quidquid est rei physicæ, & non est spirituale; id esse elementum purum vel mixtum, at elementa fiunt ex sensibilibus, quæ ostendam esse indivisibilia.

Instabis: quomodo ergò erunt unum per se? Respondeo non quidem ex materia & forma Philosophi, sed quatenus simul sumpta sunt denominativa unius, v. g. sensibilia calcis & lapidis constituunt murum ab ijs indistinctum, ùt quoque dicam de composito in via communi. Nec dicas: tali modo naturaliter fieri transsubstantiationem; Jam respondi: quòd nolim uti in Physica terminis *substantiâ*, *accidente*, *materiâ* &c. sed sensibilia plùs minùs requisita, v. g. ad murum requiruntur plùs sensibilia terræ, & aquæ, quàm aëris ac spiritûs ignei, sicut & plùs lapis, calx, quàm, v. g. color aliquis in muro; proinde non sequitur colorem esse accidens, lapidem substantiam, sed colorem esse sensibile minùs requisitum, quàm terrea sensibilia lapidis, ita nec si fiat dealbatio, deberi dici accidentalem; si exstruatur integer murus, substantialem Aristotelicam, sed duntaxàt hanc esse majorem immutationem sensibilium, quàm priorem. Obij-

Obijcies III. Datur generatio & corruptio viventium, ſed harum principia non ſunt ſenſibilia, Ergò, &c. Minor Probatur: Corpus & anima ſunt principia generationis: ſed hæc non ſunt ſenſibilia, Ergò, &c. Reſpondeo Negando Minorem cum probatione: Major etiam eſt falſa in ſenſu Ariſtotelico; non nego quidem quòd fiat generatio, ſed cum Eccl. dico quòd *generatio advenit*, & *præterit*, *ipſum quod fit, ante fuit*: & dico corpus conſtare ex meris ſenſibilibus, in homine verò dari animam rationalem, quæ eſt forma ſubſtantialis ùt definivit Leo X. Papa.

Inſtabis: non tantùm datur generatio hominis, ſed etiam bruti, ergò ſicut principia hominis non ſunt conſtitutiva ſenſibilia, ſed corpus & anima, ita & in bruto; conſequenter reliqua. Reſpondeo Negando ſuppoſitum, quòd corpus hominis conſtet aliò quàm ſenſibilibus, hinc diſtinguo Conſequens, Ergò brutum conſtat corpore, & animâ ſenſibili. C. Ariſtotelicâ. N.

Inſtabis: homo habet aliam materiam præter ſenſibilia, & formam ſpiritualem: Ergò brutum materiam Ariſtotelicam, & formam ſubſtantialem.

Reſpondeo Negando Antecedens quoad primam partem: & paritatem quoad alteram; nam fides imprimìs docet: quòd

D 5 detur

detur anima rationalis, & quòd sit forma spiritualis definivit Leo X. censeo informans corpus, non assistens ùt angelus, at corpus humanum totum est sensibile.

Instabis: non tantùm fides docet, sed etiam purus philosophus potest scire, quòd in homine præter corpus sit anima rationalis, quæ sit forma spiritualis substantialis: Ergò æquè concludet, quòd talis forma sit in bruto licèt non spiritualis. Circa hoc antecedens aliquando me occupabo integrâ quæstione. Pro nunc Respondeo Distinguendo Antecedens ex supposito, quòd veniat in cognitionem Dei velùt Creatoris omnium transeat: præscindendo. N. sed Nego Consequentiam: nam ùt fatetur Mastrius nondum constat, an rationalitas sit differentia inter hominem, & brutum, de quo ego fusè in animastica, & S. Ambr. lib. de Noë, & arca Cap. 4. definit hominem: *animal vivum mortale rationale*, & in veteribus *mortale* ponebatur locò differentiæ, nec adeò malè, nam *mortale* significabat separationem animæ à corpore, quod non æquè brutis convenit: nam quando brutum moritur, non remanet anima.

Instabis: ratione convinci potest, quòd & brutum sit animal vivens, ergò debet habere principium operationum vitalium,

quale

quale est forma substantialis. Respondeo Distinguendo Consequens, principium Aristotelicum: N. dispositionem aptam sensibilium: C. Nec dicas, combinatio sensibilium in homine non sufficit, in quo Ethnici immortalitatem agnoverunt; jam enim dixi, licèt dubitativè, ac arguitivè de immortalitate animæ hominis locuti fuerint, pro operationibus sensitivis sufficere sensitivam animam, & hanc aliud non esse, quàm sensibilia quædam sic disposita, ferè ùt in horologio &c.

Obijcies IV. datur forma substantialis; ergò & materia: Probatur Antecedens: una res physica differt substantialiter ab altera, Ergò &c. Antecedens est certum, inquit Poncius: nam lignum differt substantialiter ab aqua, lignum autem album, & nigrum accidentaliter; Consequentia Probatur: quia non differunt res physicæ in subjecto communi, nec per accidentia. Respondeo negando suppositum probationis: quòd detur substantia physica, vel accidens illi in sensu Aristotelis; hinc certum illud putatitium est, differunt autem penes hæc, vel illa, plura, vel pauciora sensibilia, v. g. mensa cedrina differt plùs à cedro adhuc florente, quàm assere cedrino, & tamen secundùm sensibilia.

Instabis: una rès physica differt ab alia sicut

ſicut omnes, ſed homo differt ſubſtantialiter ſcilicet: per animam rationalem, ergò & reliqua à ſe invicem ſic diſtinguuntur. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: una totaliter ſenſibilis, ſicut omnes: C. una habens formam ſpiritualem maximè fide cognitam ſicut omnes tali carentes: N. Majorem.

Inſtabis: etiam una res phyſica non habens formam ſpiritualem diſtinguitur ab altera ſubſtantialiter, v.g. ignis ab aqua, Ergò &c. Probatur Antecedens: hìc enim in ſe habet principium caloris, illa frigoris: Ergò &c. Reſpondeo Negando Antecedens, ac probationis Conſequentiam, ſicut enim nigredo eſt offuſcativa lucis, ità ignis conſtat ſenſibilibus productivis caloris cæteris paribus, vel diſparibus.

Obijcies V. ars petit materiam artefactorum: Ergò ſcientia naturalis petit quoque materiam primam. Reſpondeo: hoc totum eſſe verum, ſed utrinque ſenſibilem materiam dari.

Inſtabis: naturalia petunt aliquod ſubjectum commune entibus phyſicis, Ergò materiam Ariſtotelis. Reſpondeo Negando Conſequentiam: quædam enim ſenſibilia denominantur, & hæc poſſunt dici ſubjectum, alia denominant, & hæc dicantur forma, ità tamen ut in ente phyſico nihil

nihil ſint, niſi ſenſibilia; malo tamen abſtinere ab illis nominibus ne minùs periti contradictionem putent.

Obijcies VI. difficile argumentum; absque materia, & forma, nequit intelligi transſubſtantiatio, & doctrina Concil. Trid. Ergò datur. Probatur Antecedens: quando panis fit corpus Chriſti, manent omnia ſenſibilia panis, & tamen ſubſtantia panis eſſe deſinit, Ergò ſignum eſt, quòd illa ſubſtantia panis, quæ deſinit eſſe, non ſit facta ex ſenſibilibus, ſed ex materia, & forma. Reſpondeo me purè philoſophicè defendere. At quia reclamas Chriſtianam, Philoſophiam debere ſubordinari fidei. Reſpondeo imprimìs non premi Lutheranos, qui negant transſubſtantiationem. At quia cum his nolo ſentire. Reſpondeo tertiò exercitij causâ, quas tamen reſponſiones inſufficientes ipſe puto juxtà ſcriptores Catholicos: ſubſtantia panis deſinit eſſe Metaphyſica: C. Phyſica: N. hoc eſt illa ſenſibilia, quæ putamus poſt conſecrationem eſſe panem, non ſunt panis, ſicut aves putârunt eſſe uvas veras, ubi tantùm pictæ erant. Reſpondeo IV. in Concilio Trid. non eſſe additum: *& illa ſubſtantia, quæ deſinit eſſe, fuit ex materia Ariſtotelica.* Nec dicas colligi: quia non ex ſenſibilibus, cùm hæc omnia maneant. Reſpondeo negari

gari quòd *omnia* manerent, sed tantùm quædam exteriora, reliqua putarentur esse cùm non sint, hinc est illud: *Visus, gustus in te fallitur*: quasi essent ibi sensibilia illa, quæ sunt objectum gustûs, & visûs, cùm tamen non sint. Respondeo V. si transsubstantiatio debeat intelligi, & physicè, & metaphysicè, adhuc posse dici, ibi perire illam unionem, quæ sensibilia facit dici panem, quam sensus adhuc putant esse, cùm tamen non sit, nam si unio perit, cætera maneant, non erit ampliùs verum: *panis est*, neque physicè neque metaphysicè, sicut triduo mortis Christi dissolutâ unione humanitatis, licèt anima erat propinqua corpori propter divinitatem, cui mediante Personalitate erat anima unita, non tamen erat verum dicere: *est homo* neque physicè, neque metaphysicè: Hæc sunt pro exercitio.

DISPUTATIO II.

De Materia Prima.

Nè videar difficultatem fugere, vel breviorem Physicam, ac alienam à more aliorum tradere, reliqua facilè omnia procedent ex supposito (quod tamen nego) *si daretur Materia, ac Forma Aristotelica.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Materia prima haberet actum entitativum?

DIco: materia prima habet actum entitativum. Ità Sco. in 2. d. 12. q. 1. cum ſuis ac RR. contra Thomiſtas; ſenſus eſt: an materia prima, quam omnes fatentur eſſe ens aliquod extra cauſas, quale nondū eſt Antichriſtus, an inquam ſit pura potentia phyſicè, quòd quoque conceditur, & metaphyſicè, quòd nego, licèt enim ipſa non includat formam phyſicam, tamen metaphyſicam: & hic eſt verus ſenſus, quidquid alij ominentur.

Probatur; vel per actum entitativum intelligunt rationem entis actualis, vel differentiam metaphyſicam, vel aliud: quidquid dixerint erit contra, niſi dicatur habere actum entitativum, Ergò, &c. Probatur Minor: ſi tertium, non eſt mihi quæſtio cum illis, gratìs enim do quòd non includat aliquam formam phyſicam; ſi duo prima intelligant, patet quòd habeat actum entitativnm, aliàs nihil erit, vel forma erit.

Reſpondent: habet rationem entis actualis, vel etiam differentiam diſtinctam à ratione formæ. N. indiſtinctam. C. ſed Contra: independenter ab ope intellectûs, verum eſt dicere: *materia prima eſt, materia prima*

prima non est forma, materia, & forma sunt duæ substantiæ incompletæ, quarum una habet rationem potentiæ physicæ, altera actûs; Ergò materia habet existentiam, & differentiam distinctá ab entitate, ac differentia formæ.

Respondent distinguendo Consequens: ergò habet, &c. id est, est ens actu. C. est ens in actu, vel habet actum. N. C. Contra: materia non est tantùm ens actu, quale non est rosa in hyeme, sed etiam est actu distincta à forma, id est, habet gradum, vel prædicatum metaphysicum, per quod distinguitur à forma: sed ille gradus est differentia Metaphysica, Ergò, &c. Confirmatur: materia est causa subjectiva, non forma, non accidens, &c. Respondet Gabriel à S. Vincentio, Ergò materia habet differentiam, quæ est potentialitas. C. quæ est actualitas. N. fateor eruditè, sed solis verbis à Sco. discrepat; sic arguo: ipsa potentialitas materiæ est actus entitativus, vel differentia, per quam illud ens incompletum, quod vocatur materia, secernitur ab omni alio. Confirmatur: in ratione entis incompleti convenit cum formà, ergò differt per potentialitatem, sicut enim differentia animæ in homine est rationalitas, ità materiæ potentialitas; ex quo patet: æquivocari, quasi potentialitas non posset dici Metaphysica differentia, vel actus.

Re-

Reſpondent alij : ſi materia haberet propriam exiſtentiam : C. ſi ſecùs: N.& hi dicunt materiam nec eſſe creatam, nec productam, ſed formæ coëxiſtere, concreari &c. Contrà : materia non eſt forma, vel explicitè exiſtentia materiæ non eſt exiſtentia formæ; item exiſtentia ſubjecti non eſt exiſtentia formæ pereuntis ipſo manente; O quales opiniones ſunt iſtæ!

Reſpondent: exiſtentiam materiæ non eſſe exiſtentiam alicujus formæ diviſivè, & determinatè : C. collectivè N. hoc ſignificat: forma quæ modò eſt, facit materiam modò exiſtere, & hac pereunte, adveniens præſtat idem. Contra : in facto eſſe ſunt duo principia , id eſt duo principia ſunt exiſtentia, Ergò ibi ſunt duæ exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ; nam *duo* utrumq; denotat; non enim valet: *Chriſtus ſunt duo*, intellige de ſubſiſtentia, quæ ſignificat exiſtentiam ſinè aptitudine inhærendi velut ſubjecto.

Reſpondent alij : quòd habeat actum proprium: N. formæ: C. alij, ergò habet actum, id eſt, non eſt pura potentia objectiva : C. ſubjectiva : N. ſed ſignificant idem quod priora : pro adæquata notitia. Notandum eſt; quòd potentia ſit triplex: *Objectiva*, *Subjectiva*, *Effectiva* ; prima eſt

pura

pura possibilitas respectu physicæ productionis, v.g. antichristus est modò in potentia objectiva. *Subjectiva* est subjectum formæ. *Effectiva* est potentia aliquid efficienter causandi, qualis est in igne, qui potest aquam calefacere producendo in eo calorem: ex quo patet; materiam esse puram potentiam subjectivam, non objectivam; neque solùm actu esse, sed etiam definiri, saltem proùt ens incompletum definiri potest, adeoque licèt physicè sit pura potentia, habet tamen differentiam quâ metaphysicè à forma, accidente, & alijs distinguitur.

Obijcies I. materia non habet actum physicum, Ergò nec metaphysicum. Probatur Consequentia: *differentia desumitur à forma, sicut genus à materia*, Ergô si non habet formam, vel actum physicum, nec differentiam: sic arguenti mihi respondit meus Antecessor, modò Pragæ Regens: genus physicum desumitur à materia: C. metaphysicum: N. Superi! materia & genus physicum apud omnes intelligentes sunt idem. Respondeo Negando Consequentiam., axioma distinguo: proportionaliter: C. formaliter: N. hoc est, sicut in rebus physicis materia est commune subjectum, & illud quod determinatur, ità quoque genus in metaphysicis est pars deter-

ter-

terminabilis, sic quoque de differentia est loquendum proportionaliter. Retorqueo argumentum; angelus, anima, non habent materiam, & tamen constant genere, Ergô &c.

Instabis: in rebus propriè physicis: (qualis non est angelus vel anima) differentia formaliter sumitur à forma physica, sed materia non habet formam, Ergò nec actum. Probatur Major inductione: ideo homo dicitur metaphysicè rationalis, quia habet formam physicam scilicet animam rationalem; brutum irrationale, quia habet animam positivè irrationalem. Respondeo Negando Majorem; probationem distinguo: si ly *ideo* sumatur præcisè: N. si sumatur tanquam per quid notius, & in hoc vel altero casu simili: C. aliàs nihil posset definiri, nisi esset physicè compositum, quod nec illi volunt.

Obijcies II. quod est pura potentia, nequit habere actum entitativum, sed, Ergò. Minor patet ex eo, quid sit materia. Respondeo Distinguendo Majorem: nequit habere actum physicum: C. metaphysicum N. deinde ad Minorem dico: materiam esse puram potentiam physicè, non metaphysicè.

Instabis: quod est pura potentia physicè, nequit habere actum physicum, Ergò

quod eſt pura potentia metaphyſicè ſicut materia, quia conceptus ejus non eſt aliud quàm potentialitas, nequit habere actum metaphyſicum. Reſpondeo Negando ſuppoſitum, quòd materia etiam metaphyſicè ſit pura potentia, probationem diſtinguo: conceptus ejus differentialis non eſt aliud. C. genericus: N. Jam enim dixi, quòd ſit *ens incompletum potentiale*.

Inſtabis: ex hoc ſequeretur, quòd idem foret actus, & potentia, imò conceptus potentialitatis eſſet actus. Reſpondeo Diſtinguendo ſequelam: idem eſſet actus metaphyſicè, & potentia phyſicè: C. quòd autem conceptus potentialitatis ſit actus, vel differentia materiæ do libenter; hinc non eſt actus reſpectu ſui ipſius, ſed entis incompleti.

Obijcies III. phyſicè datur aliquid, quod eſt ità pura potentia, ut nullum actum phyſicum includat, ergò & tale quid dabitur metaphyſicè. Reſpondeo concedi poſſe totum, in phyſicis aſſigno materiam, in metaphyſicis rationem entis ùt ſic, nam materia eſt reſolubilis in plures conceptus objectivos à parte rei.

Inſtabis: ideo materia prima eſt pura potentia phyſicè, quia eſt ens incompletum phyſicum; ſed etiam metaphyſicè eſt ens incompletum, ergò &c. Reſpondeo N.

vel

vel Distinguendo Minorem: metaphysicè est ens simpliciter incompletum: N. comparativè ad substantias physicas totales: C. verum quidem est, quòd non in tot conceptus sit resolubilis, sicut v. g. homo, nec tamen ipsa, nec forma metaphysicè est purus conceptus indivisibilis.

Instabis: datur actus omninò purus scilicet Deus; Ergò & debet pura potentia admitti. Respondeo Distinguendo Antecedens: id est, in Deò nulla est compositio: C. in Deo non sunt plures conceptus objectivi à parte rei actu distincti: N. ad Consequens dico: nihilum nullum habere conceptum; deinde quòd Deus sit purus actus, oritur ex summa perfectione, at nullum ens est ità imperfectum, quin præter rationem entis, habeat actum sui distinctivum ab omni alio.

Cætera facilè solves retinendo: quòd materia physicè sit simplex, pura potentia; at metaphysicè est species completa, licèt non comparativè ad substantias etiã physicè completas; quòd si dicant: ex duobus entibus in actu nequit fieri unum, actus, & potentia ens dividunt, &c. ac authoritates explica de actu physico. C. aliter N. Mastrius quidem negat potentialitatem esse differentiam volens esse passionem, sed vult tantùm dicere quòd poten-

tia formalis ſit paſſio, radicalis differentia. His reſponſionibus aſſentit Poncius, & Herman, ſed hic poſterior contradicit ſibi hic Numerô XI. & IX. in *Arguitur*, & *Urgetur*: reſponſiones Lalemandet non ità probo.

QUÆSTIO II.

An Materia prima poſſet exiſtere ſinè omni forma ſubſtantiali?

DIco: Materia prima etſi probabiliùs naturaliter non poſſet exiſtere, tamen ſupernaturaliter poſſet eſſe ſinè omni forma ſubſtantiali. Ità Sco. l. c. cum ſuis, & RR. plurimi contra ſcholam D. Thomæ, qui putant in ſententia Scoti debere hoc poſſe naturaliter fieri, cùm tamen ipſi divinæ potentiæ hoc negent: quæſtio potiſſimùm de formis ſubſtantialibus, & abſolutis eſt uſurpanda.

Probatur prima pars experientiâ: Ergò videtur curſui naturæ repugnare. Nec dicas, triduô mortis Chriſti, & in creatione Mundi *terra erat inanis*; nam formam corporeitatis infrà probabo; & l. c. ſcripturæ explico: quòd necdum erant omnia, quæ debebant ſubſequi. Confirmatur: cauſæ naturales de factò ſaltem non deſtruunt niſi ùt producant, Ergò ſola nunquam erit prima materia naturaliter. Lege P. Arriagam. Pro-

Probatur altera pars: Deus potest conservare accidentia Eucharistica sinè subjecto ex fide: Ergò & materiam sinè forma, quia accidentia plùs dependent à subjecto, quàm materia à formis, quod sic probo: posterius dependet magis à priori, quàm prius à posteriori, sed accidentia sunt posteriora subjectô, & materia est prior formâ, Ergò &c.

Respondent Distinguendo ultimam Majorem: cæteris paribus. C. imparibus N. quia dicunt accidentia habere propriā existentiam, non materiam; sed præterquam quòd sit explosum suprà, sic arguo: hoc datô, humanitas in sententia Thomistarum existit existentiâ Verbi in Christo, sed illa potuit existere existentiâ propriâ, ergò & materia licèt existeret existentiâ formæ, se solâ existere posset.

Confirmatur: nulla est ratio necessariæ connexionis materiam inter, & formam, Ergò Deus potest ea seorsim conservare, item *Deus se solo potest, quod cum causis secundis*, sed cum forma conservat materiam, ergò & se solô.

Respondent: axioma valere in causis efficientibus. C. formalibus; N. Contra: hoc infert non posse esse compositum physicum sinè forma, bene materiam, cui forma nec dat esse ùt actus secundus respectu

primi, nec ùt modus, imò ſunt duo entia abſoluta incompleta realiter diſtincta, ſe invicem non cauſantia, Ergò divinitùs ſaltem ſeparabilia.

Retorquent argumentum: hæcceitas, ſubſiſtentia ſunt quid abſolutum, nec tamen poſſunt eſſe ſinè natura. Contra: hæc ſunt metaphyſica formaliter tantùm diſtincta, at materia, & forma ſunt entia phyſica incompleta, realiter diſtincta.

Reſpondent: etiam in phyſicis, & realiter diſtinctis oppoſitum evenire, v. g. totum nequit eſſe ſinè partibus, quantitas ſinè figura, actio ſinè effectu. Contra: hæc partim ſupponunt falſum ex dicendis, partim admiſſa non concludunt, quia vel ſunt relativa, vel ſe mutuò cauſant &c.

Obijcies I. Proprietas nequit ſeparari à ſubjecto, v. g. riſibilitas ab homine, ergò nec forma à materia; quia prima ſunt unum per accidens, alia unitate per ſe. Reſpondeo Negando Conſequentiá; materia, & forma ſunt magìs unum per ſe unitate phyſicâ: C. metaphyſicâ N.

Inſtabis: quæ ſunt magìs unum ſunt minùs ſeparabilia, ſed materia, & forma ſunt magìs unum, Ergò &c. Probatur Minor: Unitas per ſe eſt potior unitate per accidens, ſed, Ergò. Reſpondeo Negando Minorem; probationem diſtinguo: unitas

tas per se est potior, si sit in eodem genere ac ordine: C. in diverso N. v. g. unitas metaphysica per se est major unitate metaphysicâ per accidens, hinc dic materiã, & formam esse magis unum unitate unionis: C. identitatis N.

Objicies II. materia existit existentiâ formæ, ergò nec divinitùs ab ea potest separari. Probatur Antecedens; materia artificialium existit existentiä formæ artificialis, Ergò à pari. Respondeo Negando Antecedens: Probationem distinguo, physicè transeat: metaphysicè: N. nam nec materia naturalis, vel prima, nec artificialis includit formam physicam bene tamen metaphysicam.

Instabis: talis materia separata nec esset spiritualis, nec corporea, nec purè intellectualis, Ergò, &c. Respondeo: propter hoc in probatione partium, contra partes me rationabiliter conclusisse non dari materiam; illi enim vel negant illi existentiam propriam, & tale quid est musphat, vel purum intelligibile ponunt.

Instabis: illa materia esset in actu perfectissimo existentiæ, & differentiæ, & non esset, quia formâ careret. Ad hujusmodi dico: quòd esset in actu metaphysico, & non physico. Si petat quis, an esset indivi-

duum? dic metaphyſicum quodammodò completum, phyſicè incompletum.

Inſtabis: operatio nequit intelligi ſinè potentia operativa, vel actus ſecundus ſinè primo: ſed exiſtentia materiæ eſt actus ſecundus formæ, Ergò, &c. Reſpondeo tranſeundo Majorem. N. Minorem, vel diſtinguo eam, exiſtentia materiæ quà informatæ. C. ſimpliciter. N. pro alijs ſolvendis Sciendum eſt quòd Thom: hìc falsò ſupponant materiā non habere propriam exiſtentiam, abſque lumine gloriæ Deum non poſſe videri, eſſentiam actualem, & exiſtentiam realiter diſtingui, &c.

Inſtabis: exiſtentia materiæ ſecundùm ſe conſideratæ eſt à forma: Ergò, &c. Probatur Antecedens: exiſtentia unius relativi eſt ab alio: ſed materia eſt relativum aliquod ad formam: Ergò, &c. Reſpondeo Negando Antecedens; probationis Majorem tranſeundo, Nego Minorem; vel diſtinguo: tranſcendentaliter & juxtà modum concipiendi. C. prædicamentaliter, & entitativè. N. quòd ſit relativum, ſed abſolutum.

Inſtabis: ex eo quòd nunquam ſola exiſtat colligitur indiſpenſabilis unio, ſaltem ad modum conditionis *ſinè qua non*, cùm nec pateat quomodo conſervari poſſet. Reſpondeo negando aſſumptum: multa

enim

enim non fiunt, quæ divinitùs esse possent; tali autem casu conservaretur uti de factò, nec fieret miraculum aliquid ponendo sed subtrahendo; de primà parte nihil occurrit, quòd enim anima rationalis sola existat, tum ex ejus perfectione, tum speciali Dei voluntate fieri censendum est, quâ materia longè est imperfectior.

QUÆSTIO III.

Quomodo Materia appeteret formas substantiales?

DIco: Materia prima appetit omnes formas æqualiter. Ità Sco. varijs locis; at quia multæ partes includuntur, ùt pateat quis assentiat, vel dissentiat, sic declarantur: Dicitur primò: *appetit omnes formas*, intellige substantiales, ac propter eas etiam accidentales, tam naturales, quàm supernaturales; tam absentes, quàm præsentes, immò & corruptas; & hucusque communior est in omni Schola, hinc inde paucis recalcitrantibus. Dicitur secundò: *æqualiter*, id est, non potiùs nobiliores, quàm ignobiliores, & non tam penès rationem particularem, quàm universalem, & quoad istud est contra plures Scotistas: intelligitur autem conclusio de appetitu innato, qui est inclinatio passiva rei, non de elicito, qui est actus voluntatis.

Pro-

Probatur primò : quòd omnes formas appetat : appetere est habere naturalem inclinationem passivam subjectandi formas, sed talem inclinationem habet materia ad omnes formas : Ergò, &c. Minor patet ex definitione ipsius : Respondent aliqui distinguendo Minorem : ad omnes formas naturales. C. supernaturales. N. alij sic : non corruptas. C. semel corruptas. N. Contra hos & illos : si corruptas, & supernaturales non affectaret, esset ideò : quia non sunt naturaliter producibiles, sed hæc ratio nulla est, cùm hoc se habeat per accidens respectu causæ materialis, & discernit efficientem ; est enim cera liquida quoque indifferens ut sibi hæc vel illa figura imprimatur.

Respondet Orthz : saltem non habere appetitum ad formas ùt sunt amissæ, sed hoc tritum est judiciô prudentûm. Confirmatur : omnes formæ sunt natæ informare materiam, Ergò materia omnes velut sui perfectivas appetit, non quidem in sensu composito, nisì fortè ad summum duas, sed diviso.

Probatur & altera pars : sic appetit formas, velùt ab illis perficitur, & completur, sed æqualiter ab omnibus perficitur, Ergò &c. Probatur Minor : quòd forma subinde sit nobilior, hoc quidem facit composi-

tum

tum esse perfectius, at non materiam, v. g. propter formam Jaspis est perfectior, quàm arena, in quibus materia est æqualis. Confirmatur: genus metaphysicum in se non fit perfectius à rationalitate, quàm irrationalitate, licèt compositum perfectius resultet, nam & in homine, & in bruto animal ex se est vivens sensitivum: item æs fusum, vel limus est indifferens ad hanc, vel illam formam artificialem, & quòd potiùs hæc, quàm illa fiat, determinatur ab agente extrinseco, Ergò & materia est indifferens ad omnes formas.

Respondet Hermann, est indifferens, id est; non est determinata ad unam: C. & hoc fatetur ab agente extrinseco venire; est indifferens, id est, non habet majorem inclinationem ad nobilem, quàm ignobilem: N. Contra: æs fusum utroq; modo est indifferens, Ergò gratìs verba variat, quis enim diceret tale æs magìs appetere formam aheni quàm ollæ? Probatur adhuc; appetitus magìs boni præ minore est cognitivorum, sed de horum forte non est materia, Ergò &c. Respondet subitò Poncius: appetitus elicitus: C. innatus: N. Majorem. Contra: hæc responsio principium petit, appetitus enim materiæ non est elicitus, sed innatus, Ergò non tendit potiùs in nobilem, quàm in igno-

ignobilem formam. Probatur Consequentia: prior enim appetitus est activus, alter passivus, id est, ille eligit, non iste, sed est indifferens.

Respondent: innatum esse passivum, & indifferentem, quoad hoc, quòd ab omnibus possit perfici, & quòd ex se non posset magìs habere unam, quàm alteram: C. ità ut non petat nobilem præ ignobili: N. Contra est, quod suprà dixi, ab ignobili æquè actuari, & facere unum per se.

Respondent: actuari æquè genericè: C. secundùm perfectiones specificas, vel individuales: N. Contra: non quæritur: an compositum fiat perfectius à nobiliori forma, hoc enim concedo; sed manet argumentum quòd materia non reddatur perfectior à nobiliori, Ergò eam non petit præ ignobili.

Probatur tertiò; in materia frustrà tot respectus fingeres, quot formæ sunt possibiles; sed unicus est indivisibilis, qui radicaliter sumptus est ipsa essentia: sed substantia non suscipit majus & minus: Ergò appetitus materiæ non est major ergà nobilem, quàm ignobilem formam.

Respondet Mastrius retorquendo: quòd nec substantiales appeteret præ accidentalibus; imò & suggero, quòd hæc retorsio suprà fieri potuisset. Contra: non est

de

de ratione intrinſeca materiæ appetitus formarum accidentalium, ſi enim omnia implicarent, eſſet materia ſubjectum formarum; deinde appetitus materiæ eſt tranſcendentalis, ergò æqualis ad omnes formas. Probatur Conſequentia, ens tranſcendens finitum, & infinitum, participatur in via Sco. univocè, Ergò &c.

Obijcies I. contra primam partem: materia non appetit formas abſentes: Ergò, &c. Probatur Antecedens: aliàs appeteret deſtructionem præſentis, quia plures nequit ſimul ſubjectare. Reſpondeo diſtinguendo ſequelam: ſi appeteret abſentes in ſenſu compoſito præſentis tranſeat: ſi in ſenſu diviſio. N. unde non appetit alias, ùt habet præſentem, ſed ſpecificativè ſumpta.

Inſtabis: ſaltem naturaliter plures formæ non poſſunt eſſe ſimul: Ergò habens unam nullô modô petit alias. Reſpondeo: tranſeundo Antecedens: ad Conſequens ùt ſtatim; vel dico: non appetere plures ſimul ſimultate actûs. C. ſimultate potentiæ. N. Conſequentiam.

Inſtabis: materia habens unam formam eſt quietata: Ergò nec ſpecificativè habet ſimultatem potentiæ. Reſpondeo Negando Conſequentiam: vel rurſus dico: pro ſenſu compoſito. C. diviſo. N. Si dicas, ſaltem præſentem non appetit, quia deſiderium

rium eſt abſentis. Reſpondeo eſſe verum de appetitu elicito.

Si petas: an infinitas appetat? dico ſaltem extenſivè, licèt intenſivè quacunque quietetur. Si tandem dicatur: non dari regreſſum ad habitus: dic verificari reſpectu efficientis, jam autem materiæ eſt perinde, quomodo, & ubi, & à quo forma educatur, dummodò ipſa informetur.

Obijcies II. contra alteram partem: appetitus materiæ non eſt aliud, quàm perfectibilitas ejus, ſed magìs eſt perfectibilis per formam perfectiorem: Ergò, &c. Minor Probatur: *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ità magìs ad magìs*, ſed abſoluta ratio cur forma perficit materiam, eſt, quia cum illa facit compoſitum: Ergò quando facit perfectius compoſitum cum illa, magìs illam perficit; ſubs: ſed nobilior facit perfectius compoſitum: Ergò, &c. Reſpondeo: Negando Minorem; axioma dico valere in his, quæ ſunt capacia intenſionis, quale nec eſt materia, nec ulla ſubſtantia.

Inſtabis: materia appetit formam, quia eſt ejus perfectio: ſed forma nobilior eſt major perfectio: Ergò, &c. Reſpondeo diſtinguendo Minorem: eſt major perfectio compoſiti. C. materiæ. N. aurum eſt quidem ob formam nobilius compoſitum,

quàm

quàm plumbum: ſed materia prima ejuſdem rationis eſt utrobique, adeò ut nec accidentaliter una præſtet, niſi quà eſt pars compoſiti.

Inſtabis: forma nobilior etiam magis perficit materiam: Ergò, &c. Probatur Antecedens: ſubſtantialis eſt nobilior accidentali: ſed ſubſtantialis magis perficit materiam accidentali: Ergò, &c. Reſpondeo primò: quæſtionem eſſe de ſubſtantialibus ad invicem comparatis: Secundò Negando Antecedens; probationis Minorem diſtinguo: *magis*, id eſt, per gradus. N. id eſt, facit unum per ſe cum ſubſtantiali, non cum accidentali. C. ſed cum nobili, & ignobili ſubſtantiali facit unum per ſe.

Inſtabis: forma nobilior *magis*, id eſt, per gradus materiam perficit: Ergò, &c. Probatur Antecedens: hoc convenit appetitui elicito, cui innatus proportionatur; Ergò, &c. Reſpondeo Negando Antecedens, & probationis Conſequentiam; proportionatur illi genericè, per hoc autem differunt, quòd elicitus eligat, innatus ſit indifferens ad omnes. Has Maſtrij probationes ipſe Poncius reprobrat, Sannig iniquè citat Poncium pro oppoſita, expreſsè enim tenet cum Maſtrio Numero 107. ex his

Colliges: materiam ignobilem appetere, dum est sub nobiliori, puta specificativè sumptam, ac pro sensu diviso interim; hinc si informaretur aliquâ formâ, quæ contineret perfectiones omnium formarum, adhuc viliores appeteret; si autem talis contineret perfectiones omnium, quatenùs formæ sunt, ampliùs nullam affectaret; Cæterum appetitus ille radicaliter, & intensivè est unicus, extrinsecè, ac extensivè infinitus per syncategorema; sic quoque Doctor Subtilis conciliatur: supersunt pauca, minùs fructuosa, quæ ùt expediam.

Quæres primò: an sit una materia? Respondetur communiùs, quòd sit ejusdem speciei in sublunaribus, & cælestibus, numerô diversa in singulis terræ, ac cæli individuis, v.g. alia & alio numerô est in mensa, charta &c.

Quæres secundò: an materia recipiat formas immediatè, vel mediante aliqua potentia realiter distincta? Respondeo: si per potentiam intelligas carentiam actûs, illam realiter distingui, perit enim adveniente forma, & manente materia: aliàs neque realiter, neque formaliter distincta entitas admittenda est, scilicet si potentia materiæ sumatur radicaliter, id est pro prædicato differentiali; an autem sit alia differentia? sit ùt sit, defactò per poten-

tia-

tialitatem explicatur quidditas materiæ.

Quæres tertiò: an materia ſit generabilis, & corruptibilis? Reſpondetur communiter, quòd ſit generabilis ſubjectivè, non autem terminativè; primùm ſignificat, quòd ipſa ſit ſubjectum illarum formarum, quæ deſinunt eſſe, & de novo adveniunt: alterum quòd à Deo quidem poſſit produci, ac annihilari, ſed ordinario curſu à nulla creatura, & quantum ad hoc ipſa eſt fœlicior formis. Quæri ſolet etiam; an ſit nobilior poſſibili? & an habeat ideam? ſuppoſitô, quòd detur, affirmativè reſpondendum eſt. Ex quibus ultrò patet, quòd materia apud Thomiſtas ſit unum grande nihil, apud Scotiſtas conceptus metaphyſicus: ſed de his abundè dictum eſt.

DISPUTATIO III.
De Forma Subſtantiali.

PRorſùs eôdem ſuppoſitô de Forma agemus; porrò forma ſubſtantialis dicitur actus primus materiæ: intellige actus informans, & denominans, non ſicut Angelus dicitur forma aſſiſtens corpori aſſumpto; de priori ſit.

Colliges: materiam ignobilem appetere, dum est sub nobiliori, puta specificativè sumptam, ac pro sensu diviso interim; hinc si informaretur aliquâ formâ, quæ contineret perfectiones omnium formarum, adhuc viliores appeteret; si autem talis contineret perfectiones omnium, quatenùs formæ sunt, ampliùs nullam affectaret; Cæterùm appetitus ille radicaliter, & intensivè est unicus, extrinsecè, ac extensivè infinitus per syncategorema; sic quoque Doctor Subtilis conciliatur: supersunt pauca, minùs fructuosa, quæ ùt expediam.

Quæres primò: an sit una materia? Respondetur communiùs, quòd sit ejusdem speciei in sublunaribus, & cælestibus, numerô diversa in singulis terræ, ac cæli individuis, v.g. alia & alio numerô est in mensa, charta &c.

Quæres secundò: an materia recipiat formas immediatè, vel mediante aliqua potentia realiter distincta? Respondeo: si per potentiam intelligas carentiam actûs, illam realiter distingui, perit enim adveniente forma, & manente materia: aliàs neque realiter, neque formaliter distincta entitas admittenda est, scilicet si potentia materiæ sumatur radicaliter, id est pro prædicato differentiali; an autem sit alia differentia? sit ùt sit, defactò per potentia-

tialitatem explicatur quidditas materiæ.

Quæres tertiò: an materia ſit generabilis, & corruptibilis? Reſpondetur communiter, quòd ſit generabilis ſubjectivè, non autem terminativè; primùm ſignificat, quòd ipſa ſit ſubjectum illarum formarum, quæ deſinunt eſſe, & de novo adveniunt: alterum quòd à Deo quidem poſſit produci, ac annihilari, ſed ordinario curſu à nulla creatura, & quantum ad hoc ipſa eſt fœlicior formis. Quæri ſolet etiam; an ſit nobilior poſſibili? & an habeat ideam? ſuppoſitô, quòd detur, affirmativè reſpondendum eſt. Ex quibus ultrò patet, quòd materia apud Thomiſtas ſit unum grande nihil, apud Scotiſtas conceptus metaphyſicus: ſed de his abundè dictum eſt.

DISPUTATIO III.
De Forma Subſtantiali.

PRorſùs eôdem ſuppoſitô de Forma agemus; porrò forma ſubſtantialis dicitur actus primus materiæ: intellige actus informans, & denominans, non ſicut Angelus dicitur forma aſſiſtens corpori aſſumpto; de priori ſit.

Colliges: materiam ignobilem appetere, dum est sub nobiliori, puta specificativè sumptam, ac pro sensu diviso interim; hinc si informaretur aliquâ formâ, quæ contineret perfectiones omnium formarum, adhuc viliores appeteret; si autem talis contineret perfectiones omnium, quatenùs formæ sunt, ampliùs nullam affectaret; Cæterùm appetitus ille radicaliter, & intensivè est unicus, extrinsecè, ac extensivè infinitus per syncategorema; sic quoque Doctor Subtilis conciliatur: supersunt pauca, minùs fructuosa, quæ ùt expediam.

Quæres primò: an sit una materia? Respondetur communiùs, quòd sit ejusdem speciei in sublunaribus, & cælestibus, numerô diversa in singulis terræ, ac cæli individuis, v. g. alia & alio numerô est in mensa, charta &c.

Quæres secundò: an materia recipiat formas immediatè, vel mediante aliqua potentia realiter distincta? Respondeo: si per potentiam intelligas carentiam actûs, illam realiter distingui, perit enim adveniente forma, & manente materia: aliàs neque realiter, neque formaliter distincta entitas admittenda est, scilicet si potentia materiæ sumatur radicaliter, id est pro prædicato differentiali; an autem sit alia differentia? sit ùt sit, defactò per potentia-

tialitatem explicatur quidditas materiæ.

Quæres tertiò: an materia ſit generabilis, & corruptibilis? Reſpondetur communiter, quòd ſit generabilis ſubjectivè, non autem terminativè; primùm ſignificat, quòd ipſa ſit ſubjectum illarum formarum, quæ deſinunt eſſe, & de novo adveniunt: alterum quòd à Deo quidem poſſit produci, ac annihilari, ſed ordinario curſu à nulla creatura, & quantum ad hoc ipſa eſt fœlicior formis. Quæri ſolet etiam; an ſit nobilior poſſibili? & an habeat ideam? ſuppoſitô, quòd detur, affirmativè reſpondendum eſt. Ex quibus ultrò patet, quòd materia apud Thomiſtas ſit unum grande nihil, apud Scotiſtas conceptus metaphyſicus: ſed de his abundè dictum eſt.

DISPUTATIO III.
De Forma Subſtantiali.

PRorſùs eôdem ſuppoſitô de Forma agemus; porrò forma ſubſtantialis dicitur actus primus materiæ: intellige actus informans, & denominans, non ſicut Angelus dicitur forma aſſiſtens corpori aſſumpto; de priori ſit.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo formæ educerentur è potentia materiæ?

DIco: omnes formæ ſubſtantiales (exceptâ animâ rationali) educuntur è potentia materiæ, id eſt, dependent ab ea *in fieri*, & *conſervari*. Ità Sco. varijs locis cum ſuis, contra Thomiſtas, ac RR. plurimos, quorum aliqui volunt formas cæleſtes non educi, ſed creari, imò aliqui idem de elementaribus formis ſentiunt; quòd autem *educi* ſignificet dependere à materia *in fieri*, & *conſervari* hôc modô, ut ſinè miraculo absque materia nec poſſit fieri, nec conſervari, nonnulli Scotiſtæ verbotenùs negant, in re facilè coincidunt omnes, quòd ſi putes, in re differre varios Authores

Probatur primò, quòd natura eductionis conſiſtat in tali dependentia: per id bene explicatur eductio, in quo convenit cauſalitas eductiva, & diſconvenit ab omni alia, quæ non eſt eductio: ſed, Ergò. Probatur Minor: aliæ formæ, quæ non educuntur, ſunt illæ, quæ creantur ſicut anima rationalis, ſed hæc producitur, at non cum tali dependentia à materia, Ergò &c. Minor patet, ſeparatione enim factâ animæ à corpore, anima conſervatur ſinè mi-

miraculo. Confirmatur: per hanc dependentiam exprimitur quidquid ad eductionem requiritur, & tollitur omne superfluum, Ergò &c. Antecedens declaratur: omnis forma enim, quæ sic producitur, virtualiter debet contineri in materia tanquam in subjecto passivo *ex quo* forma fit, consequenter prærequiritur materia saltem in instanti naturæ, quod sufficit ad agere & pati, insinuatur quoque: quòd materia sit receptaculum formæ, tale quidem, quòd naturaliter forma nequeat produci, nisi huic uniatur: Mastrius, & Poncius hic diu altercantur, & tandem idem concludunt.

Probatur adhuc idem: educere non est idem quod extrahere formam ex materia, sicut pecuniam ex marsupio actu præexistentem, quomodocunq; hoc explicetur; nec est tantùm attingere productionem formæ, ac ejus unionem cum subjecto; nec producere formam certis dispositionibus prævijs in materia; nec aliud, nisi coincidas, Ergò consistit in tali dependentia. Probatur Antecedens: non primum; quia generatio est transitus à *non esse* formæ ad *esse ejus*, Ergò actu non præexistit, nec tota, nec secundùm partem: aliàs & infinitæ essent in materia; nec valet secundùm *esse* umbrosum, imperfectum, quia

vel ſunt actualiter, vel ùt dixi tantùm virtute? Si dicant: eſſe ibi ſecundùm poſſibilitatem. Contra: hoc eſſe poſſibile eſt ſeminalis ratio ac virtus, quâ è materiæ potentia producuntur, quam omnes fatentur, licèt diverſimodè baptizetur. Deinde educere non eſt producere, ac tantùm unire formam ſubjecto; ſic enim producitur anima rationalis, & tamen non educitur. Nec dicas animam ſic produci, ſed absque miraculo poſſe non uniri. Contra: periculoſum eſt dicere, quòd Cholchodea illas formas producat; cæterùm, ſi anima produceretur, & non ſaltem inſtanti naturæ conjungeretur corpori, foret præter rerum ordinem; dico *naturæ*, quia defactò organizatione facta creatur anima, & ſi hæc inveniat corpus incapax ad operationes vitales, illicò in utero ſeparatur à corpore. Imò & anima producitur certis conditionibus prævijs in materia, Ergò nec hoc eſt educi.

Confirmatur: ad eductionem neque ſufficit fieri dependenter à materia; neq; conſervari diviſivè: ſed utrumque ſimul requiritur; ſivè enim forma fieret dependenter à materia, & nullo inſtanti naturæ in ea reciperetur; ſivè in materia ſubjectaretur, ex qua non fieret, ſemper miraculum foret, Ergò &c. Sed quia de altera

parte

parte major difficultas eſt: Probatur omnes formas educi: omnes formæ ſubſtantiales, materiales producuntur dependenter à materia *in fieri & conſervari*: Ergò omnes educuntur. Probatur Antecedens: ſi aliqua forma ex materialibus produceretur, vel conſervaretur ſinè materia; eſſet miraculum, Ergò connaturaliter ſic producuntur omnes.

Reſpondent: ſublunares. C. elementares, ac cœleſtes: N. Contra: & hæ, & illæ ſic dependent, imò & actiones ſuas habent connaturaliter in ſubjecto.

Reſpondent: quòd dependeant à materia tempore præexiſtente: N. non præexiſtente: C. Contra primò: formæ cælorum ſunt corruptæ, & Deus primâ die fecit omnem materiam, nè eſſet vacuum, alijs diebus formas; deinde ad eductionem non requiritur, quòd materia tempore præexiſtat, Ergò &c. Probatur Antecedens; ad actionem efficientem non eſt opus prioritate temporis, Ergò minùs ad cauſalitatem materialem: inſuper, dum forma aliqua producitur dependenter à materia *in fieri*, & *conſervari* ſinè prioritate temporis, talis inquam forma non creatur, Ergò educitur. Antecedens conſtat: caſu quo Deus crearet materiam, cui illicò applicaret ignem A. nova forma ignis B.

ab hoc diceretur producta, non creata, ſicut nec lux proveniens in primo inſtanti à Sole.

Reſpondet P. Orthz. formas cœlorum dependere à materia tanquam à ſubjecto in quo. C. ex quo factæ N. Contra: illæ formæ ſunt ex materia factæ, ſicut, & formæ ſublunares; tum ſi Deus faciat materiam novam, quando ex ſpeciebus Euchariſticis fit, v. g. cinis, forma cinerum dicitur educi, Ergò etiam quando fecit materiam cœlorum, formæ ex illa ſunt factæ.

Obijcies I. contra primam partem: ut forma dicatur educi è potentia materiæ, debet præexiſtere in illa: ſed hoc non exprimitur in explicatione data, Ergò &c. Probatur Major: aliàs productio cujuscunque formæ eſſet creatio: creari enim dicitur, quod fit actione diſtincta ex nihilo ſui. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: debet præexiſtere, vel virtualiter, vel actualiter. C. neceſſariò ſecundùm aliquod eſſe actualis: N. Ad Minorem dico: hoc implicitè dici, eò quòd materia ſit id, ex quo fit, id eſt, à qua forma dependet in fieri, & conſervari.

Inſtabis: iſta virtualis continentia formarum non ſufficit; ſed ad minùs requiritur aliqua virtus ſeminalis, ſed hæc neque implicitè exprimitur, Ergò &c. Majorem pro-

probat Lalemandet ex S. Aug. & multis rationibus, prætendens rationem ſeminalem debere eſſe aliquid realiter diſtincti à potentia purè receptiva materiæ; ratio eſt, nè formæ fiant ex nihilo, & ſic creentur. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: requiritur virtus ſeminalis diſtincta à potentialitate materiæ: N. indiſtincta virtus de qua Aug: loquitur. C. ad rationem dico: formas fieri ex nihilo ſui. C. ex nihilo ſubjecti, quod ad creationem requiritur. N. imò loca, quæ affert plus convincerent, quàm ipſe velit, ſcilicet aliquid formæ actualiter præexiſtere, quod negat reſolutione prmâ.

Inſtabis: anima rationalis creatur, quia fit ex nihilo ſui, & tamen producitur dependenter à corpore, Ergò licèt illæ formæ fierent dependenter à ſubjecto, cùm nihil earum præexiſtat quoad rationem ſeminalem creabuntur. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: anima producitur dependenter quoad *fieri* tranſeat; quoad *conſervari* continuò: N. dixi enim: ſi poſtea conſervetur à corpore ſeparata, hoc ei eſſe connaturale, vel ſinè miraculo.

Inſtabis: ſed nequit intelligi quomodo formæ illæ educantur, ſi non actu præexiſtant, vel ſaltem ſemen earum, aut niſi aliquid materiæ in formam converteretur,

& ſic terminativè corrumperetur. Reſpondeo: ſic debere intelligi: quòd agens habeat virtutem activam ex tali principio paſſivo potiùs, quàm alio ente, ex ejus inquam potentia, trahendi ſimilem formam, quæ *in fieri* & *conſervari* connaturaliter ab eadem potentia pendet: & hoc voco virtualem formæ exiſtentiam, quæ entitativè eſt ipſa potentia materiæ, terminativè, & extrinſecè forma producta; at quia Author citatus actualitatem negat, & tamen diſtinctas rationes ſeminales, non tantùm ſuperfluus eſt, ſed ſibi contradicit, & infinitatem ſeminalium rationum actu diſtinctarum ſimul collocat. Nec juvat dicere: eſſe tantùm actualitatem ſeminalem cujuſcunque formæ; hoc enim non eſt quid diſtincti à materia, ſaltem realiter, de quo loquimur.

Inſtabis: *ex quolibet non fit quodlibet, ſed ex determinato determinatum* Imò phyſ. ſed ſi in materia non præexiſteret ſemen aliquod formæ generandæ, quælibet forma fieret ex qualicunque potentia materiæ. Reſpondeo Negando Minorem; fieret enim ex determinato ente ſcilicet potentia materiæ, & rurſus æquè illa ratio ſeminalis eſt indeterminata, niſi pluralitatem, ac infinitatem talium actualium rationum ſeminalium quis vellet: porrò determina-

tio

tio illa fit ab agente per prævias diſpoſitiones, quod & illi tenentur dicere; deinde materia non eſt quodlibet principium paſſivum, ſed determinatum æqualiter appetens omnem formam.

Obijcies II. Anima rationalis non educitur, & tamen fit dependenter à materia. Ità Poncius. Sed jam Reſpondi, quòd dependeat *in fieri*, ſed non in continuo *conſervari*, quod utrumque facit differentiam adæquatam eductionis.

Inſtabis: ſunt quædam, quæ dependent à materia *in fieri*, & *conſervari*, & tamen non educuntur v. g. habitus ſupernaturales. Reſpondeo: ſicut falſum eſt animam in *conſervari* naturaliter dependere, ità & habitus animæ infuſos v. g. lumen gloriæ, &c.

Inſtabis: ſi aliqua forma dependeret à materia *in fieri*, & poſteà conſervaretur à Deo, adhuc diceretur educta. Reſpondeo Diſtinguendo aſſumptum: conſervaretur à Deo connaturaliter, ſicut anima rationalis ſeparata, N. cum miraculo, ſicut accidentia Euchariſtica. C. Si dicas: demus quòd connaturaliter exiſtat ſinè materia, dico, detis quòd & accidentia ſic exiſtant; reſpondebit hoc non poſſe fieri; ità quoque ſolvo ſolventem.

Obijcies III. contra alteram partem: formæ cœlorum ſunt creatæ: Ergò non eductæ.

ctæ. Probatur Antecedens: Gen. 1. cap. *in principio creavit Deus cœlum, & terram*; non tantùm materiam: Ergò & formam. Respondetur: Distinguendo locum ci: formas cœlorum esse creatas impropriè. C. id est, sunt à solo Deo factæ: propriè, id est, independenter à subjecto, N. retorqueo argumentum: creavit *masculum, & fœminam*, & tamen ex limo fecit eos.

Instabis: formæ cœlorum sunt propriè creatæ, non minùs, quàm materia, & totum compositum: Ergò, &c. Probatur Antecedens: Tùm quia scriptura permiscuè loquitur. Tum quia eâdem actione sunt productæ. Respondeo Negando Antecedens: probationem distinguo: eâdem actione, id est, eodem instanti temporis, transeat; quia neque verum est de formis tertiâ, quartâ, &c. diebus factis: naturæ. N. Colligimus diversitatem actionum ex Sco. in 1. d. 5. q. 2. & quia materia est facta ex nihilo sui, & subjecti; forma quidem ex nihilo sui actualiter præexistentis, sed dependenter à subjecto.

Instabis: licèt materia fuerit prior naturâ, formæ illæ non possunt dici generatæ: Ergò propriè creatæ. Probatur Antecedens: ad generationem requiritur transmutatio, ità ut formam præcedat privatio: sed hoc non fuit in productione cœlo-

lorum, ſaltem primâ die: Ergò, &c. Reſponderi poſſet primò, inter generationem, & creationem mediam eſſe creationem impropriam; ſed meliùs Reſpondeo quòd privatio præceſſerit naturâ, non tempore.

Inſtabis: neque naturâ præceſſit privatio: Ergò ſolutio ruit. Probatur Antecedens: aliàs privatio, & forma fuiſſent ſimul in unico inſtanti naturæ, quod quoque implicat. Reſpondeo Negando Antecedens: probationem diſtinguo: ſi privatio præceſſiſſet poſitivè. C. ſi tantùm negativè. N. hoc eſt, creatâ materiâ, non fuit quidem privatio, ſed fuiſſet, niſi agens ſupremum ſtatim addidiſſet diſpoſitiones, ob quas ex illa materia ſtatim tales formæ erumperent.

Obijcies IV. Anima rationalis etiam eſt educta, quia eſt in potentia materiæ, poteſt cauſari à materia id eſt, recipi. Reſpondeo ùt ſuprà ſinè dependentia quoad *conſervari* hæc omnia vera eſſe.

Inſtabis: licèt ſic non dependeat, generatur, & non creatur: Ergò educitur. Probatur Antecedens: agens, quod producit ultimam diſpoſitionem ad formam, etiam formam producit; ſed ultima diſpoſitio id eſt organizatio fit per generationem: Ergò & anima. Reſpondeo Negando Ante-

ce-

cedens: probationis Majorem Diſtinguo; ſi illa diſpoſitio ex ſe ſit efficax ut producatur talis forma. C. ſi ſecùs. N. Majorem; ad Minorem dico: quòd de facto ſemper fiat, id oriri à libero decreto Dei.

Inſtabis: ultima diſpoſitio ad animam rationalem eſt efficax, aliàs generatio hominis non eſſet naturalis. Reſpondeo Diſtinguendo ſequelam: non eſſet naturalis, id eſt eſſet libera ex parte creantis animam. C. proùt opponitur ſupernaturali. N. alij dicunt animam liberè communicari, & neceſſariò uniri.

Ex his colliges: habitus ſupernaturales non educi, ſed creari, quidquid alij domeſticis intenti ſe hìc fatigent.

QUÆSTIO II.

An Detur Forma Corporeitatis?

DIco: dari formam corporeitatis in viventibus, præter animam. Ità Sco. in 4. d. 11. q. 3. cum ſuis contra Scholam Thomiſticam, ac RR. plurimos, quorum ſententiam referre candidus philoſophus nauſeat.

Explicatur concluſio; cujus ſenſus eſt: an præter formam ſubſtantialem completam, qualem in quolibet compoſito phyſico interim unam admittimus, detur adhuc aliqua forma, quæ reddat materiam primam

mam capacem quantitatis, ac ſubjectivè diviſibilem, uti docuit Avicennas de omni materia, & hoc poſitivè nego; at in viventibus v. g. in homine præter animam rationalem dico dari aliquam formam non ultimam, quam vocant Scotiſtæ formam corporeitatis: & quando anima eſt ſeparata, dico eandem manere, & tunc vocari formam cadavereitatis; non autem novam advenire, ùt contra ſenſum Thomiſtæ intrudunt.

Probatur primò; antequam producatur anima, habetur corpus, ſed corpus non eſt nuda materia cum accidentibus; Ergò materia cum aliqua forma dicta corporeitatis. Major patet: quia anima advenit corpori jam organizato. Minor Probatur: ſpecialis denominatio requirit ſpecialem formam: ſed corpora habent denominationem, quæ non convenit inanimatis: Ergò hæc oritur à ſpeciali forma; & non à materia cum accidentibus. Confirmatur: quando anima ſeparatur, manet corpus, & non nuda materia cum accidentibus: Ergò in viventibus datur forma corporeitatis.

Reſpondent: quando anima ſeparatur v. g. dum homo, vel bos moritur, non manere idem corpus quod ante fuit. Jam quæſo an non ſtultorũ prægrandis eſt numerus? manent eadem accidentia: Ergò idem corpus.

Re-

Reſpondent: manere eadem accidentia numerò. N. ſpecie, vel ſimilia. C. & iterum quæſo, quid ſtultiùs dictu? dum bos moritur, vel mortuus eſt, non eſt eadem pinguedò, color capillorum, ſciſſuræ in auribus, imò nec litteræ impreſſæ cuti juxta Thomiſtas.

Reſpondent: ſenſus falli, revera non eſſe eadem accidentia, ſed ſimilia; ſi mihi hoc perſuadebunt, dicam quando Petrus manè ſurgit, quòd non habeat eandem ſtaturam, quàm heri, ſed ſimilem; & quæſo, quis producit illa nova accidentia?

Reſpondent Deus ſtatim, ac anima recedit, ſimilem formam cadaverietatis, cum talibus accidentibus producit: O bone Deus, quanta non attribuuntur tibi; ſic arguit Maſtrius: in corpore Chriſti mortuo, erant eadem accidentia, & vulnera, quæ in vivo, ex quorum identitate ſe Thomæ patefecit, & adhuc Thomiſtæ ſunt increduli.

Reſpondent: quando Chriſtus eſt mortuus, ſimilia vulnera accepit, & quando reſurrexit, hæc rurſus dimiſit, & illa, quæ ante mortem habuit, aſſumpſit. Contra: vulnus lateris jam mortuus accepit: Ergò idem, & non ſimile triduò mortis, & poſt reſurrectionem erat. Item Deus de novo crucifixiſſet Chriſtum animâ jam ſeparatâ; quia juxta illos non manſerunt vulnera à

ju-

judæis vivo Christo facta, sed Deus nova similia produxisset, P: Lalemandet dedignatur talia impugnare,& prudenter.

Confirmatur: tali modô B. Virgo non esset Mater Dei, quia quando anima est infusa, non mansit idem corpus, quod ipsa generavit, sed Deus simile produxit, & talia paradoxa innumera, nisi accidens de subjecto in subjectum migrare permittant, quod nolunt Thomistæ.

Respondent alij ad argumentum, & confirmationes: manere quidem eadem accidentia, sed in materia prima sinè forma corporeitatis; alij dicunt esse ibi formas partiales. Contra: hæc est via negandi omnem formam; si enim in bove mortuo dicas nullam formam esse, idem de lapide alius sentiet; deindè accidentia non migrant de uno subjecto in aliud; nec materia potest esse immediatum subjectum inhæsionis accidentium: cùm hôc compositô detur; prius enim est esse compositum substantiale, quàm habere accidentia, imò hæc indies mutantur, insuper verè dico: *bos mortuus est corporeus*; Ergò debet esse forma denominans. Nec dicas: ibi esse novam formam cadavereitatis, quis enim illam produceret? & quis negabit eandem carnem, pellem, ossa, &c. In bove mortuo,

tuo, ac vivo? Nec dicas: esse formulas partiales, vel enim novas ponis, & hoc explosum manet, vel quæ & priùs fuissent; quæro, an sint accidentales, vel substantiales: primum jam est impugnatum, si secundum; vel integram in composito unam totalem, vel non; si primùm, quasi coincidis cum forma corporeitatis; si non, à potiori omnes difficultates contra formam corporeitatis, quoque contra illas militant, nec est aliquid, quod det denominationem corporis, &c.

Respondent: animam rationalem dare denominationem corporei. Contra: ex definitione animæ hæc supponit denominationem corporei; Ergò illam non dat; item nemo dat, quod non habet, sed anima rationalis velut entitas spiritualis nihil corporei in se habet, Ergò &c.

Respondent: animam esse corpoream ùt *quo* non ùt *quod*. Contra: album nequit dici ùt *quo* nigrum; Ergò nec spirituale corporeum; deinde supponit corpus esse.

Respondent: animam supponere corpus esse potentiâ. C. actu N. Contra: supponitco rpus perfectè organizatum, ergò denominatio *corporei* in facto actu, saltem instanti naturæ debet animam præcedere. Confirmatur: anima non potest dare de-

.no-

nominationem corporis mathematici, Ergò nec physici.

Probari solet adhuc theologicè: sequeretur enim quòd non fuisset idem corpus Christi vivum, ac mortuum: item corpus illud, quod triduò mortis habuit, fuisse corruptum, contra illud: *quod verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*, quin saltem reassumeret.

Respondent: fuisse idem materialiter; sed quando ex equo generatur vermis, manet etiam eadem materia, & tamen malè diceres absolutè, corpus equi, & vermis esse idem.

Respondent alij: fuisse idem suppositaliter; sed primò lis est, quid illo triduò suppositatum fuerit; secundò si quis consecrasset triduò illo, verè adduxisset corpus illud, quod vivum erat in cruce pendens: tertiò natura divina, & humana sunt suppositaliter idem, nec tamen sunt idem formaliter. Confirmatur: in transsubstantiatione panis materia, & forma, juxta communiorem, fit corpus Christi, sed non fit Deitas, nec humanitas, nec in accidentia convertitur (solùm) ergò & in formam corporeitatis; Cavellus inquit, nec malè, hanc Thomistarum doctrinam esse difficiliorem, quàm sub speciebus latere Deitatem: Cæteras responsiones, ac

 im-

impugnationes cum authoritatibus vide in Maſtrio, & Compendiatoribus.

Obijcies: vel illa forma corporeitatis eſſet accidentalis, vel ſubſtantialis; nihil dici poteſt, Ergò &c. ſi primum: foret ens per accidens, imò accidentia ſubjectarentur in nuda materia; ſi ſecundum: duæ formæ ſubſtantiales eſſent in eodem ſubjecto. Reſpondeo breviter: quòd ſit ſubſtantialis incompleta; hæc objectio à potiori ſolvetur quæſtione ſequenti. Si dicas: oculus vivus, & mortuus ſunt æquivoca. Reſpondeo: ſi oculus ſumatur pro inſtrumento videndi: C. ſi ſecundùm rationem entis phyſici: N. ſic etiam vivum, & mortuum corpus ſunt idem in ratione partium, non in ratione viventis.

Inſtabis: ſivè talis forma ſit completa, vel incompleta, non eſt in non viventibus, Ergò nec in viventibus. Probatur Conſequentia: licèt non detur in inanimatis, adhuc poteſt à materia, & forma pullulare quantitas, Ergò ſimiliter, licèt in viventibus non ſit forma corporeitatis, à materia, & anima: poteſt oriri denominatio corporei. Reſpondeo Negando utramque Conſequentiam; quia materia poteſt virtualiter dici quanta, quia quantitas educitur ex materia jam unita formæ, anima verò creatur, & nullatenùs corporea eſt,

porrò

porrò dimensiones interminatæ Averroistarum reijcimus, plura sequenti quæstione.

QUÆSTIO III.

An plures formæ substantiales possint esse in eadem materia, & una forma in pluribus materijs?

DIco: naturaliter possunt esse plures formæ substantiales in eadem materia; non autem una forma in pluribus materijs, licèt supernaturaliter. Conclusio habet tres partes: Prima est contra torrentem, paucis exceptis, quibus favet Ariaga, & intelligitur de formis, quæ non exigunt oppositas dispositiones, v. g. forma ignis, & aquæ opponuntur, non autem forma ferri, & ignis. Altera pars communis est; Tertia, quòd scilicet supernaturaliter una forma possit esse in pluribus materijs, imò etiam plures formæ in una, docetur à plurimis Scotistis.

Probatur quoad primam partem: quòd de factò, & ferè quotidie fit ab agente naturali, naturaliter fieri censetur, sed formam ferri, & formam ignis manere in eadem materia ferri sensibus patet: Ergò &c. Minor declaratur: cessante igne in ferro, adhuc manet forma ferri, ergò non fuit expulsa, quis eam reproduceret? Con-

firmatur; ſuppone dari materiam, & formam, Ergò concludo in ferro candente eſſe duas formas, ſi quis enim negabit alterutram, nunquam convincet exiſtentiam alicujus formæ, cùm ſimul accidentia utriusque adſint.

Reſpondent: ibi non eſſe formam ignis, ſed calorem. Contra: ponamus incudem totaliter candèntem ad ſtramen aridum, annè fiet ignis in ſtramine? & tamen accidens non poteſt producere ſubſtantiam; igitur hæc reſponſio Poncij, & aliorum Scotiſtarum in via Scoti eſt intolerabilis; deinde ſi dicas: ibi non eſſe ignem, ego negabo in culina ulla eſſe ignem.

Reſpondent alij: ignem eſſe intra poros ferri. C. in mareria ferri. N. Contra ſic dicam: & formam ferri eſſe tantùm intra poros; deinde: vel illi pori ſunt accidentia, vel ſubſtantia phyſica: ſi primum: accidens erit immediatum ſubjectum formæ ſubſtantialis; ſi ſecundum: forma ignis, & forma pororum erit ſimul. Confirmari poſſet; quia non eſt idem forma ligni, & forma arboris, & tamen utraque eſt in arbore.

Reſponderet fortè aliquis: has & ſimiles formas eſſe ſubordinatas. Contra: vel intelligit compatibiles eſſe, & hoc intendo; vel dependentes, & hoc non, quia ſi

ſi ignis inintelligibilis eſſet, daretur ferrum &c.

Colliges: duas formas numerô diſtinctas, v.g. duas formas ferri non poni naturaliter in eadem materia; nec duas formas ſpecie diſtinctas, ſi habent oppoſitas diſpoſitiones, v. g. anima rationalis, anima bruti, ſed diſparatæ; nam etiam accidentia diſparata, v. g. dulcedo & albedo ſunt in eodem ſubjecto.

Probatur & altera pars: tùm communi conſenſu. Tum quia nullum corpus eſt in duobus locis adæquatis naturaliter. Tùm tandem, ſi quis diceret in pariete A. & B. eſſe eandem formam, alius diceret eſſe formam unam numerô parietis in omnibus. Confirmatur: non datur ſpiritus mundi, id eſt una forma in omnibus materijs; Ergò nec ſpiritus phyſicus partialis, vel forma in pluribus. Antecedens Probo: omnibus motivis à potiori, quibus negavi principia Ariſtotelica. Quoad tertiam partem conſtat: quia Deo ſunt omnia poſſibilia, quæ nullam contradictionem involvunt; ſed, Ergò: Minor conſtabit ſolutione objectionum.

Objicies I. generatio unius eſt corruptio alterius, Ergò una forma expellit aliam; & ſic naturaliter duæ non ſunt ſimul. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: ge-

neratio unius incompatibilis est corruptio; C. compatibilis: N. Antecedens & Consequentiam.

Instabis: duæ formæ non sunt naturaliter compatibiles: Ergò &c. Probatur Antecedens: duo effectus adæquati non sunt naturaliter compatibiles in causa efficiente: Ergò nec duæ causæ formales respectu materiæ. Respondeo Negando Consequentiam: quia causalitas materiæ est passiva, ex qua non oritur infinitas perfectionis, sicut ex activa.

Instabis: tali modô in una materia, v. g. parietis esset forma calcis, lapidis, parietis, aquæ, &c. Respondeo Concedendo totum: sed meliùs dices, hic esse quoque plures partiales materias, cum formis unú integrantes.

Obijcies II. neque supernaturaliter possint esse plures formæ non subordinatæ in eadem materia, minùs naturaliter. Probatur: Deus nequit impedire effectum formalem: sed expellere formam veterem, est effectus formæ novæ; Ergò quando nova forma producitur, nec Deus impedit expulsionem prioris. Respondeo Distinguendo Majorem: nequit impedire effectum formalem primarium. C. secundarium: N. sic distinctâ Minore: Nego Consequentiam. Si petas, quis ergò sit primarius

rius effectus: dico, denominare subjectum.

Instabis: licèt expellere formam veterem sit effectus secundarius, est tamen intimus primario, imò inseparabilis; Ergò nec Deus illum impedire potest. Respondeo Distinguendo Antecedens: & dico, posse expellere veterem esse inseparabile, atualem expulsionem Deus impedire posset.

Instabis; si nova forma actu non expelleret veterem, non esset actus primus; non faceret compositum per se, &c. quæ etiam contra præced. quæst. faciunt. Respondetur: quòd forma corporeitatis sit tantùm actus inchöatus, & incompletus; at hìc de completis Distinguo Sequelàm: non esset actus primus in eadem ratione, qua prior. C. in diversa N. Explico: si in materia *A* esset forma ferri & ignis, forma ferri esset actus primus in ratione constituentis ferrum, ignis in ratione facientis ignem.

Instabis: materia nequit simul cum duabus formis constituere diversa composita: Ergò ruit solutio. Probatur Antecedens: unum corpus naturaliter non potest esse in duobus locis, nec una causa habere plures effectus totales. Respondeo Distinguendo Antecedens: nequit componere

 di-

diverſa compoſita adæquata. C. inadæquata: N. Si petas: an eſſet unum, vel duo; dico fore unum ſubjectivè, duo informativè.

Inſtabis: Ergò anima lupi & ovis, bruti & hominis poſſent eſſe ſimul. Reſpondeo: licèt ſupernaturaliter fortè, non naturaliter, concluſio enim fuit de non oppoſitis, & de ijs quæ ſolent ſibi ſuccedere.

Inſtabis: materia completur per primá, & facit cum ea unum per ſe: Ergò nequit recipere aliam. Reſpondeo: ùt ſuprà, ſub eadem ratione. C. ſub alia: Nego Conſequentiam. Si dicas: Ergò infinitas. Reſpondeo ex proportione agentis & formarum, nam materia ſe habet paſſivè, dummodo agens poſſit inducere, & formæ ſe compatiantur, illa omnes recipit.

Inſtabis: ſequeretur quòd idem eſſet de eſſentia ſpecie diſtinctorum. Reſpondeo idem materiale & genericum. C. ſpecificum: N. Si quæras: an tunc poſſit dici: *ferrum eſt ignis*, & ècontra, ſicùt: *album eſt dulce*. Reſpondeo negativè: quia illa res tota quæ eſt alba, eſt dulcis, at pars materialis ferri, eſt tantùm ſubjectum ignis. Nec dicas, benè dici: *verbum eſt homo*, hoc enim ſuppoſitaliter, & per communicationem idiomatum valet.

Obij-

Objicies III. contra alteram partem: una forma exercet ſuam virtutem in una materia: Ergò nequit informare duas. Retorqueo de corpore replicato, & Diſtinguo Antecedens: ſuam virtutem naturalem. C. obedientialem: N. Si dicas, Ergò etiam naturaliter fieri poſſet: Nego Sequelam; quia non datur agens creatum cum virtute applicativa ejuſdem formæ ad plures materias.

Inſtabis: neque agens ſupernaturale poteſt applicare formam eductam ex una materia alteri, quia dependeret à priori, cùm ex ea ſupponatur educta; & non dependeret, quia conſervaretur ſinè illa. Reſpondeo: quòd non dependeret naturaliter. C. cum miraculo. N. quia conſervatio illius formæ in ſecunda materia eſſet ſupernaturalis.

Inſtabis: ſequeretur talem formam eſſe infinitæ virtutis. Reſpondeo. N. ſequelam, vel enim determinabitur ab agente ſuperiori ad certum numerum; vel non erit hoc perfectionis in forma, cùm ſeipſam non applicet, præſertim cùm eandem virtutem informativam pluribus det, ſicut materia pluribus formis rationem ſubjecti; ad infinitatem autem alia, & alia virtus requiritur, ùt ex Lycheto deſumunt moderni Scotiſtæ: quare Maſtrius hìc Poncio dedit

vi-

victas manus. hucusque de forma discursus formati sunt.

DISPUTATIO IV.

De Composito, Unione, & Privatione.

SUperest in via communi examinare, quale compositum resultet ex partibus, loquendo de substantiali; ubi de unione, ac principio privativo corporis physici, ut brevitas ista nil dirimat, quod cum utilitate tractari consuevit.

QUÆSTIO I.

An totum compositum substantiale distinguatur à partibus?

DIco: totum compositum physicum essentiale ac substantiale non distinguitur à partibus: Hanc sum doctus Clivis ex Barone & Hermann Scotistis, tenent eam Thom. ac RR. plurimi contra multos Scotistas docentes totum realiter distingui à partibus unitis, ac contra Lalemandet & Fabrum, qui distinguunt totum à partibus, sed nolunt esse novam entitatem nisi partes transactas, quorum sententiam non immeritò chimericam, physicè loquendo, vocat Poncius, nam nemo negat conceptum objectivum *Humanitatis* v. g. esse quid distin-

ſtinctum à partibus phyſicè unitis, ſivè formaliter, ſivè fundamentaliter.

Probatur primò: S. Aug. 7. de Tri. c. 4. dicit: *hominem aliud nihil eſſe quàm corpus, & animam*, phyſicè unita: Atha: in Symbolo, *anima rationalis & caro unus eſt homo:* Boëtius 3. de Trin. *omne totum eſſe ſuas partes conjunctas*: Ariſt. 4. phyſ. *non enim à partibus diverſum eſt totum*: Sco. 1. phyſ. q. 9. *totum eſt ſua partes.*

Reſpondent: Scotum eſſe problematicum; reliquas authoritates intelligi cauſaliter. C. formaliter. N. vel dicunt eos declarativè loqui, ùt quoque de toto integrali Apoſt. 12. ad Cor. ſed his nolo immorari, ex authoritatibus ijs conſtat extrinſeca probabilitas hujus ſententiæ, alij trahant eos quomodocunque velint. Jam rationibus agemus.

Probatur ſecundò: homo eſt compoſitum phyſicum, ſed homo non eſt aliud phyſicè quàm partes, id eſt, corpus & anima unita: Ergò, &c. dixi *phyſicè*, quia quòd ſit *animal rationale*, eſt eſſentia metaphyſica, ſicùt & abſtractum *Humanitas*. Probatur Minor: illa entitas, quàm homo, deberet eſſe phyſicè præter corpus & animam unita, nec mediatè nec immediatè eſt ſenſibilis, &c. omnia à potiori, quàm de materia prima arguebam. Confirmatur ſic

ſic: illa entitas nec eſt ſimplex, nec compoſita, nec ſpiritualis, nec materialis, nec res phyſica, nec gradus metaphyſicus.

Reſpondent adhæc maſſam rerum: quòd totum phyſicum ſit res corporea dicens partes in obliquo. C. in recto. N. item eſſe idem quod partes cauſaliter & ſignatè. C. formaliter. N. imò nec poſſe concipi ſinè partibus diviſivè. C. præſciſivè. N. & ſimilia plura quæ ferè ſunt idem. Contra: totum compoſitum phyſicum ſunt ipſæ partes in recto conſideratæ v. g. homo eſt phyſicè corpus & anima unita, idque formaliter, & convertibiliter: Ergò, &c. Probatur Antecedens: in recto & formaliter non eſt gradus metaphyſicus, nec ſpirituale quoddam, nec ſenſibile aliud. Si dicas eſſe ſenſibile mediatè, & in obliquo. Contra: taliter & animal rationale poſſet dici ſenſibile, cùm ſit eſſentia ejus, cujus partes phyſicæ ſunt ſenſibiles *ùt quod*, ad contradiſtinctionem unionis, quæ ſe habet *ùt quo.* Probatur à Barone de pondere unius libræ & medietatibus; ſed nimiùm probat, quia & medietates ſepoſitæ, quando non ſunt unum niſi per localem indiſtantiam, adhuc ponderant æquè.

Reſpondet Lalemandet: totum quidem non eſſe entitatē phyſicam diſtinctam, ſed præter partes eſſe formam totius, id eſt ultrà

trà ſtatum unionis, ſtatum tranſactionis. Contra: quæſtio eſt de partibus unitis in facto eſſe, quæ ſimul ſumptæ important totum id, quod compoſitum in recto; à quibus ratio humanitatis abſtracta eſt gradus metaphyſicus.

Probatur adhuc: quia nec actu, nec potentiâ, nec proportione poſſunt ſeparari; imò totum dependet à partibus conſtitutivis, ſicut definitum phyſicum à definitione phyſica; porrò metaphyſicè homo non eſt aliud quàm animal rationale; phyſicè, quàm corpus & anima unita.

Reſpondet Meldula: hæc oriri ab extrinſeco. C. intrinſeco. N. Contra: non dico partes non poſſe eſſe ſinè toto, ſed ècontra: quod utique toti intrinſecum eſt; imò nec partes unitæ quà tales poſſunt eſſe vel concipi ſinè toto, licet ſpecificativè.

Obijcies I. Ariſtoteles dividit ſubſtantiam in *materiam*, *formam*, & *compoſitu[m]* 2. de anima, & 5 metap. C. 4. ait: *ſex nc eſſe bis tria*, & Sco. expreſsè in 3. d. 2. q. docet totum diſtingui à partibus. Reſpo[n]detur primò: illos velle totum diſting[ui] Partibus ſeorſim ſumptis. C. ſimul ſum[ptis] N. ſecundò de partibus ſpecificativè tis. C. quà talibus. N. tertiò diſtingu[o] modum tranſactionis. C. phyſicæ e[n]tis. N. ſed meliùs ſi coincidant dic[o]

Philoſophum velle, aliud eſſe rem phyſicè conſiderare, aliud metaphyſicè; primô modô partes unitæ ſunt totum; ſecundô modô, & alius conceptus objectivus *ſex* quàm *bis tria*.

Inſtabis: totum compoſitum phyſicè eſt aliquid diſtinctum à partibus ſimul ſumptis: aliàs ſe haberet ùt acervus lapidum, & *Ba* non eſſet aliud quàm *B* & *A* contra Ariſt. 7. metap. & Sco. ci. Reſpondeo Negando ſequelam: quia in toto eſt unio per ſe, at in acervo unio aggregationis; Sco. eſt ad ſummum problematicus, & vult cum Ariſtotele ci. formalitatem metaphyſicam aliam importari, at nullam eſſe phyſicam entitatem. diſtinctam.

Objicies II. omnis cauſa diſtinguitur ab effectu, ſed partes ſimul ſumptæ ſunt cauſa, totum eſt effectus: Ergò, &c. Major conſtabit: quia idem nequit influere in ſe ipſum, & tam de cauſa intrinſeca, quàm extrinſeca verum eſt, per quod præcluditur communis reſponſio. Reſpondeo Concedendo Majorem etiam de intrinſeca contra Authores noſtræ ſententiæ, diſtinguendo Minorem: partes ſimùl ſumptæ *in recto* ſunt cauſa. N. una ſaltem *in obliquo* ſumpta. C. Minorem: ſed nihil infertur.

Notandum èſt; aliquas propoſitiones hoc paſſu veras, alias falſas eſſe: ſiquidem benè

bene dico: *materia unita formæ, est causa compositi; item, forma unita materiæ, item, unio inter materiam & formam causat ùt quo*; at malè dicitur: *materia & forma unitæ sunt causa*, quia sic copulativè *in recto* sumptæ sunt ipsum compositum; & sic Hurtadi dubium solvitur, nam partes copulativè sumi, dupliciter potest contingere: semel ùt omnes *in recto*, & ita non sunt causa, sed ipsum compositum; semel ut duæ, vel una sit *in obliquo*, & sic causant ipsum; si dicas: *in recto* simul sumptæ adhuc sunt partes; falsum est, nisi eas seorsim & specificativè consideres.

Instabis: multa attribuuntur toti, quæ non partibus simul *in recto* sumptis, v. g. *totum generatur, corrumpitur, dividitur in partes*, ècontra: *partes unitæ sunt partes totius*: Respondeo: hæc omnia solvi ex Notabili præmisso.

Instabis: quando generatur homo, non dicitur actio generativa, qua producitur corpus, nec qua creatur anima; sed quando totum producitur, quod corpus & anima constituunt. Respondeo: generationem hominis esse unitionem ac unionem corporis & animæ, quàm diu censetur *in fieri*, & homo est *in fieri*, at unio facta, id est materia & forma unita sunt totum.

Inſtabis: homo non eſt corpus & anima unita, ſed aliquid habens corpus & animam: Ergò ſignum, quòd ab his diſtinguatur. Si millies ſic arguant, dico: Diſtingui à partibus unitis, ſi una ſumatur *in obliquo*. C. ſi ſimul omnes *in recto*. N. quid enim afferes præter corpus, animam, & unionem?

Inſtabis: partes unitæ ſunt ens per accidens: Ergò non poſſunt dici generari; generatio enim habet terminum *ad quem* per ſe. Reſpondeo: Antecedens eſſe æquivocum: ſi ſic ſunt ens unum per unionem, quæ eſt entitativè accidens. C. ſi putent, velùt acervus lapidum: N, deinde unitas eſt gradus metaphyſicus, & ſimilem conceptum objectivum omni enti phyſico tam in abſtracto quàm concreto gratis do, ùt Faber videtur ex Sco. deſumere, quem ſequendo Lalemandet pluries in deciſione ſibi contradicit, partes transactas realiter volens ſeparare.

Colliges: multò minùs totum integrale, quale eſt corpus, v. g. habens caput, collum, brachia &c. importare tertiam entitatem diſtinctam, neque totum per accidens, quale eſt acervus lapidum, diſtingui à partibus, & ſimul & *in recto* ſumptis; ſivè partes ſint homogeneæ ſivè heterogeneæ, id eſt ejuſdem vel diverſæ rationis.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An, & quid sit Unio in composito substantiali?

DIco: datur in composito substantiali inter materiam, & formam Unio realiter distincta, quæ est relatio extrinsecùs adveniens. Ita Sco. in 2. d. 3. q. 4. & alibi cum suis, contra Thomistas quoad unam, ac varios RR. quoad alteram partem. Dicitur itaque primò: quòd in composito, loquendo juxtà communem, v. g. inter materiam & formam lapidis detur aliqua unio realiter distincta ab ipsis extremis: quod signatè negat Ocham, Cajetanus &c. volentes extrema seipsis uniri. Dicitur secundò, quòd hæc unio sit relatio; Contra Suares, & alios, qui putant unionem esse quendam modum absolutum substantialem, qui etiam sit de essentia compositi; item contra nonnullos, qui asserunt unionem esse indistantiam localem, *ac ipsam applicationem formæ ad materiam*, quod & ego contra Scotistas in objectione assevèrabo in alio sensu.

Probatur quoad primam partem: possunt existere in rerum natura corpus, & anima absque unione; Ergò quando ab agente uniuntur, resultat relatio unientis & uniti. Confirmatur: nova denomi-

natio petit novam formam, sed corpus & anima de novo dicuntur unita; Ergò inter ea debet esse unio distincta ab ijs seorsim existentibus; jam videamus quid sit. Probatur quoad alteram partem: unio non est quid absolutum: Ergò relatio. Probatur Antecedens: unio inter corpus & animam, nec est substantia, nec quantitas, nec qualitas; Ergò &c. unde & Arist. ait: uniri ùt actum & potentiam seipsis, id est sinè superaddito ente absoluto.

Respondent: esse substantiam modalem, vel modum substantialem. Contra: vel volunt esse nexum substantiarum, vel hoc & simul entitativè substantiam; primum assevero; secundum sic impugno: unio dicit ordinem ad aliud, Ergò entitativè non est quid absoluti.

Respondent: Distinguendo Consequens: non est quid absoluti sinè ordine transcendentali. C. cum tali relatione N. Contra: jam fatentur unionem non capi sinè ordine, quem illi entitati superaddunt: ex quo sic arguo: illud formaliter est unio, quo extrema censentur unita; sed hoc est ordo aliquis, Ergò unio formaliter non tantùm concomitanter est relatio prædicamentalis, qualis est similitudo inter duos parietes albos ex dicendis; & præter ordinem alia abundant.

Con-

Confirmatur: unio non eſt ſola indiſtantia localis, quia anima triduô mortis Chriſti, erat intimè præſens corpori ratione divinitatis, cui mediatè adhuc manſit conjuncta. Nec dicas: unionem eſſe indiſtantiam ſubjecti benè diſpoſiti. Contra eſt: non fit unum ex materia & forma niſi per agens, 8. metaph. tex. 15. Ergo quàmdiu ab eo non applicantur, non eſt unio; quomodo autem applicare ſit unire in 3. Sen. doceo.

Colliges, vel obſervabis: unionem aliud non eſſe, quàm reſpectum extrinſecùs advenientem, qui dicitur paſſio, v.g. quando corpus eſt organizatum, Deus creat animam, & hæc creatio non eſt unitio activa, quia poſſet ſeparari; deinde unit animam corpori, ubi Deus dicitur activè uniens, & anima unita paſſivè corpori velùt termino *Cui*; ſicut quando quis applicat lignum igni, non eſt alia unio inter lignum & ignem *Cui*, quàm iſta applicatio paſſiva; cum hac differentia, quòd hic unum habeat rationem actûs, aliud ſubjecti: non ſic lignum reſpectu ignis; & ſic iſta applicatio vel *unitio paſſiva* dicitur reſpectu unientis, dicitur verò *unio* reſpectu termini *Cui*, qui eſt materia, adeóque eſt tantùm unica unio entitativè, terminativè duplex nomen habens, ùt inquam do-

ceo in 3. Sentent. de generatione temporali Verbi.

Obijcies I. contra primam partem: materia & forma uniuntur imediatè ùt actus & potentia; Ergò unio non est medium realiter distinctum. Respondeo Distinguendo Antecedens: id est, non prius unum tempore, quàm aliud. C. id est, nec mediante absoluto vel relativo N.

Instabis: vel illud medium est unitum, vel non; si primum, requiritur alia, & alia unio in infinitum; si secundum, quomodo per id dicentur unita? Respondeo quòd sit unitum ùt *quo*. C. ùt *quod* N. *quod enim est alteri ratio tale essendi, nequit in recto dici tale*, sicut nec albedo est alba.

Instabis: vel illa unio est priùs in forma, vel materia. Dico breviter: quòd tempore simul sit in forma subjectivè, & in materia velùt termino *Cui* unitur forma ab agente, in quo est unitio activa. Si dicas, extrema debent esse priùs quàm relatio; naturâ priora sunt, & hìc petitur applicatio, sicut ad omnem extrinsecùs advenientem.

Instabis: absque tali superaddito extrema intelliguntur unita. Respondetur fundamentaliter. C. formaliter N. sed non est adeò firmum hoc de extrinsecùs advenientibus. Respondet Hermann in simi-

li,

li, quod actio sit relatio, & tamen prior quàm terminus, sed ubi manet Sco. *ad absolutum in causâ &c.* Respondeo ergò: Antecedens esse falsum, quia nunquam aliquis ostendet formam esse in materia, nisi eam agens uniat.

Instabis: per eductionem forma est in materia, Ergò abundat unio. Resondeo: tali modô eductio passiva esset unitio & unio; sed adhuc Nego Antecedens: possunt enim educi, & miraculosè conservari extra materiam formæ, de facto tamen agentia sequuntur ordinem præscriptum. Si petas: ad quid requiratur unio? dico ut materia & forma constituant totum, quod non fit per solam indistantiam, & licèt seipsis sint subjectum ac forma; requiritur applicatio, quâ factâ respectus ille consurgit.

Objicies II. contra aliam partem: per unionem intelligitur nexus materiæ & formæ; sed hic debet esse modus substantialis; Ergò &c. Minor constat; alias unirentur accidentaliter, & sinè proportione. Respondeo Negando Minorem: sequelas distinguo: unio entitativè est accidens, & non habet proportionem in entitate, C. in ratione copulæ N. sic de omni actione dicito, imò retorquere licèt de modo.

Instabis: ista unio entitativè nequit es-

ſe relatio, vel aliud accidens; Ergò ſubſtantia. Probatur Antecedens: *ad relationem non datur motus*, neque ullum accidens eſt de eſſentia compoſiti. Reſpondeo axioma valere de intrinſecùs advenientibus, accidens verò conſtituit *ùt quo* ſicut jam dixi.

Inſtabis: nec unio poteſt eſſe relatio extrinſecùs adveniens, quia eſt terminus generationis. Reſpondeo Negando aſſumptum; ad Probationem dico: eſſe terminum actionis unitivæ, vel potiùs id *quo* forma dicitur unita, nam terminus formalis eſt forma, terminus *quod* compoſitum. Sannig hìc Numerô 8. contradicit ijs, quæ habet in 3. Sent.

Obijcies III. ſi detur unio inter materiã & formam, vel eſt una, vel duplex; non primum, quia non ſolùm forma dicitur unita, ſed etiam materia; nec ſecundum, quia unio eſt duorum, & hinc ſufficit una. Reſpondent aliqui eſſe duas, alij unam; ego verò dico: quòd ſit unica unio, & duplex unitio, nempè paſſiva & activa, & quòd unio & unitio paſſiva entitativè ſit idem accidens, dicitur autem unitio reſpectu unientis; unio comparata ad terminum *cui*: ſicut de applicatione ligni dixi, & l. c. latiùs proſequar faventibus ſuperis.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An, quando, & quomodo Privatio dicatur principiare?

DIco: privatio eſt principium entis phyſici *in fieri*, per primum modum deſinendi ſui, & per ſecundum modum incipiendi formæ. Concluſio ſic propoſita in nullo eſt; contrariatur tamen pluribus permiſcuè.

Suppono autem dari à parte rei privationes diſtinctas à materia ac forma, ùt alibi docetur; & quòd per privationem intelligatur carentia formæ in ſubjecto apto ad poſſidendum eam, v. g. in homine cæco datur privatio viſûs, in lapide autem negatio viſûs, quia lapis non eſt ſubjectum aptum viſionis operativæ; ſuppono deinde quæſtionem non eſſe de privatione quacunque remota, ſed de illa, quando ſubjectum eſt quidem proximè diſpoſitum ad formam, eam tamen nondum agens introduxit, v. g. quando ex ligno fit ignis, privatio ignis cenſetur principiare, quando jam eſt in ligno calor, ſiccitas, humores expulſi; unô verbô lignum ſic diſpoſitum eſſe debet, ut ignis A mox ignem B introducere poſſit, intellige pro eodem vel ſequenti inſtanti reali. Hoc ſuppoſito, & explicatione modorum incipiendi ac deſinendi.

 Pro-

Probatur Conclusio : privatio dicitur principiare, quando est verum dicere : *jam est, mox non erit privatio*, & quando dicitur : *jam non est forma nova, sed mox erit forma nova*, sed iste est primus modus desinendi sui, & secundus incipiendi formæ, Ergò &c.

Responderent aliqui Distinguendo Majorem : ita ut utrumque primario ad principiationem privationis spectet. N. unum primariò, alterum secundariò. C. hinc est quòd aliqui dicant : privationem principiare *quando non est*, alij *quando non erit*, alij *quando forma non est* &c. Contra : utrumque requiritur, nam privatio nec antecedenter, nec subsequenter principiat, eo ipso quo vera est hæc propositio, *privatio mox non erit, & ista forma nova mox erit*, imò hæc posterior est causalis prioris, agens enim non intendit destructionem veteris per se, sed comproducendo novam.

Respondent : privationem subsequenter principiare, per *sui non esse*, velùt terminum *à quo*. Contra : quando privatio non est, jam intelligitur compositum in facto esse; Ergò ampliùs privatio non principiat. Confirmatur : principiare per modum termini à quo & recessûs, est principiare sic ut desinat, sed ille recessus intelligitur

gitur per primum modum desinendi privationis, Ergò &c.

Obijcies I. privatio principiat quando forma educitur: sed tunc non est privatio, aliàs essent simùl; Ergò privatio principiat per suum *non esse*. Ita Poncius. Respondeo Negando Minorem: quando forma est educta, non est privatio; sed quando educitur, id est, *jam non est, mox erit forma*, tunc privatio habet primum modum desinendi.

Instabis: privatio nequit principiare, quando est, Ergò per suum *non esse*. Probatur Antecedens: aliàs forma non esset principium *in fieri*. Respondeo Distinguendo Sequelam: forma non esset per primum modum incipiendi, C. per secundum modum N. sequelam.

Instabis: ergò forma fieret ex privatione sui, contra definitionem principiorum. Respondeo Negando Illatum: quia *ex* significat ex parte vel principio constituente in definitione illa. Si dicas, in generatione cœlorum non fuisse privationes: dixi præcessisse negativè non positivè; deinde ibi erat generatio potior in ratione productionis, quàm mutationis.

Obijcies II. privatio quæ dicitur esse principium, non est quid distinctum à materia saltem realiter, sed materia manet ad-

adveniente novâ formâ, Ergò & privatio. Probatur Major: vel esset ens rationis, vel à parte rei, vel esset una privatio omnium formarum, vel tot privationes, quot formæ possibiles &c. Respondeo hujus solutionem pendere à metaphysica (hìc lege Hermann fol. 387. quomodo in fine erret) pro aliquali tamen solutione

Sciendum est: nemine cogitante dari privationes, & quòd illæ proportionentur formis, quibus privant v. g. in una materia nec est forma ferri, nec auri, nec æris, consequenter illarum formarum privationes. *Secundò*: etsi illæ formæ distinguantur specie, diversos Authores tenere eas privationes esse omnes ejusdem rationis formaliter, licèt diversæ connotativè. *Tertiò* aliquos docere non dari privationes passivas, sed tantùm activas universales, v. g. forma mensæ juxta illos est privatio ignis, ensis, chartæ & cæterarum formarum per se sinè superaddito, de quibus suô locô.

Instabis: nec divinitùs potest materia separari ab omni privatione: Ergò privationes non sunt quid realiter distinctum: Ergò, &c. Antecedens patet: aliàs deberet simul infinitas categorematicè formas posse sustentare. Respondeo Distinguendo Antecedens: simul & semel. C, disjunctivè. N.

N. hoc est, modò hac, modò illâ potest carere, quod est sufficiens signum distinctionis. Et ita ad M: D: G: N: I: D: I: C: V: M: O: SS: H: A: N: S: liber primus physicorum explicit.



TRA-

TRACTATUS II.

In Librum Secundum Physicorum.

LIber iste fœcunditate, utilitate, ac ordine secundus in physica, continet materiam de causis, cui præmitti solent ab alijs minùs scholastica quæsita, de Natura, Fato, Monstris, Fortuna, Casu &c. De quibus aliquando aliam physicæ classem edere intendo, hìc duntaxat nobilissimam materiam de causis, quantùm fas est, pertractaturus: porrò *natura dicitur principium motûs & quietis*, fatum ethnicorum in Theologia proscribam, ejusque locô providentiam infallibilem Dei docebo; de reliquis alibi dicturus.

DISPUTATIO I.

De causis in communi.

PRimò igitur de causis in generali agendum est, ubi recolendum est ex præmissis, quòd quidem suppositis communibus principijs singula pertractabo, nemo tamen inficietur, si hinc inde proprio genio indulsero, proinde sit QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid ſit cauſa in communi?

DIco: cauſa phyſica benè definitur: *principium per ſe influens eſſe in aliud*: ita paſſim philoſophi, etiam hi qui volunt videri alieni, ac proinde ſimiles deſcriptiones exaggerant.

Explicatur & Probatur concluſio: Dicitur *primò*: *principium*, in quo convenit cum privatione ac Patre Æterno, qui dicitur Principium Filij. Dicitur *ſecundò*: *per ſe*, ad excludendas conditiones cauſandi v. g. debitam approximationem, item cauſas merè per accidens, quales ſunt caſus, fata, &c. Dititur *tertiò*: *influens*, ad ſeparandas cauſas metaphyſicas, quæ non influunt, ſed habent ſe velut fontes, è quibus pullulant proprietates, & ſignificando, quòd cauſa phyſica debeat *eſſe* aliquod dare ſivè phyſicè, ſivè moraliter (ex quo colliges, non eſſe idem cauſam phyſicam & phyſicè cauſantem) Dicitur *quartò*: *eſſe in aliud*, hoc eſt quòd effectus debeat realiter diſtingui in natura; per quod excluditur generatio divina: itaque cùm hæc definitio conſtet genere & differentiâ, aliæ conſimiles vel ad hunc ſenſum ſunt reducendæ, vel reijciendæ, v. g. *cauſa eſt id, à quo aliquid per ſe dependet*: *cauſa eſt id ad cujus eſſe aliud ſequitur &c.*

Obij-

Obijcies I. hæc definitio non convenit omni causæ; Ergò, &c. Probatur Antecedens: secundùm Patres Græcos Filius causatur à Patre Æterno; sed hic non est aliud à Patre: Ergò. Respondeo Negando Antecedens: Probationis Majorem Distinguo: causatur causalitate physicâ. N. impropriâ quam Theologi vocant originis. C. sic Distinguo Consequens, & Nego Consequentiam.

Instabis: neque hæc definitio convenit omni causæ physicæ v. g. fini: Ergò, &c. Probatur Antecedens: finis propriè non influit, nec dat esse, nec in aliud tendit. Respondeo Negando Antecedens: ad probationem pro nunc dico: finem ad minus moraliter influere, neque finis unquam seipsum causat, sed de his plura in sequentibus.

Instabis: idem potest agere in seipsum: Ergò non est opus ut causa influat in aliud. Probatur Antecedens: gravia & levia moventur à seipsis, item aqua se reducit ad pristinum frigus. Respondeo Negando Consequentiam: aliud enim est agere in seipsum, aliud agere vel causare seipsum; primum significat, an debeat esse distantia inter agens & passum, quæ semper non requiritur ex Sco. in 1. d. 3. q. 7. ad 1. alterum omninò repugnat.

In-

Instabis: idem potest seipsum destruere: Ergò & causare. Antecedens patet in eo, qui se suspendit; deindè phœnix dicitur semper eadem se mactans & se reproducens. Respondeo Negando Consequentiam: primum est defectus, alterum excedit creaturam; aliàs nec deveniret philosophus ad existentiam Dei; de phœnice symbolicum potiùs est quàm philosophicum.

Obijcies II. illa definitio non exprimit conditiones ad causandum requisitas: Ergò non valet. Probatur Antecedens: conditiones sunt illæ: *ut agens sit priùs effectu; sit debitè approximatum; non sit in distans; ablatio impedimentorum, &c.* Respondeo Distinguendo Antecedens: non exprimit conditiones impertinentes ad rationem formalem, ac assentialem causæ in communi. C. pertinentes, subdistinguo: explicitè transeat, implicitè. Nego. Cæterum ut dignoscatur, quænam ex his conditionibus sit, vel non sit necessaria

Quæres primò: an agens ut causet, debeat esse existens, & quidem prius effectu? Respondeo primò, omnino causam debere actu existere; nemo enim dat, quod non habet, quomodo verò de virtuali permanentia præexistentiæ actualis loquendum,

in 4. Sent. docetur. Reſpondeo ſecundò: ſufficere ut cauſa ſit prior tempore, vel ſaltem naturâ.

Quæres ſecundò; an cauſa poſſit eſſe in diſtans? Reſpondeo primò, cauſam poſſe aliquid producere in diſtans, abſque eo quòd ſimilem effectum cauſet in medio, ſed diſſimilem, & hæc reſponſio conſtat experientiâ ſolis in terra cauſantis animalcula medium aërem illuminando, &c.

Reſpondeo ſecundò; poſſe quoque in diſtans agi, ſinè ullo effectu ejuſdem vel diverſæ rationis in medio. Ita Sco. in 2. d. 9. q. 2. & alibi, maximum quod me movet, declarabo aliquando in Bareocolymbica; accedunt experientiæ, attractio ferri à magnete, fluxus & refluxus maris in novilunio, certæ thermæ indurant vitellum ovi, nihil circa albuginem operando, &c.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Cauſa in communi?

DIco: cauſa phyſica in communi eſt quadruplex; ſcilicet Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis. Ita communiter contra nonnullos veteres, qui non tam negârunt, quàm ignorârunt has quatuor claſſes.

Probatur: tot ſunt genera cauſarum, quot ſunt genera quæſtionum de ente phyſico; at harum quæſtionum ſunt quatuor ge-

genera; Ergò & causarum. Probatur Minor: primò enim quæritur, *quis* fecit, & petitur causa efficiens; *ex quo* fecit, & est causa materialis; *quo vel per quod* fecit, & ecce formalis; *cur* fecit & est finalis. Ubi Nota etiam in sententia nagante principia communia, sensibilia talium causarum rationem induere posse. Confirmatur conclusio, & juris, & sacræ paginæ peritorum consensu; deinde reliquæ causæ physicæ huc commodè referuntur, v. g. causa continens Veterum ad materialem, vel juxtà Stoicos ad efficientem generalem.

Obijcies I. hæc divisio non est bimembris: Ergò, &c. Respondeo Distinguendo Antecedens: nec ad bimembrem reducibilis. N. secùs. C. est enim causa alia *intrinseca* (huc refer materialem & formalem) alia *extrinseca*, quo pertinet efficiens & finalis.

Instabis: forma non participat rationem causæ, Ergò &c. Probatur Antecedens: vel enim esset causa materiæ, vel generationis *in fieri*, vel *in facto*? Respondeo breviter: quòd sit causa intrinseca compositi *in facto*, potest & dici extrinseca materiæ; quomodo verò partes unitæ non sint causa & quomodo sint, vide Disp. de composito.

Obijcies II. dantur plures causæ quàm

quatuor, Ergò iſta diviſio non eſt adæquata. Probatur Antecedens: datur cauſa inſtrumentalis, exemplaris &c. Reſpondeo: has omnes ad unam ex his quatuor eſſe reducibiles, ùt infrà dicam.

Inſtabis: unio eſt cauſa, nec tamen reducitur ad unam ex his; quia unio æquè cauſat compoſitum, ac materia. Reſpondeo Negando Antecedens: unio eſt id *quo* materia cauſat; ſic etiam approximatio, tempus, locus &c. non habent rationem cauſæ, ſed eorum *in quo, cum quo*, cauſa cauſat.

Inſtabis: objecta cauſant actus, ſed non videtur, quo modô ex iſtis quatuor, Ergò. Reſpondeo aliquos docere, quòd efficienter cauſent; alios dicere, quòd ſint cauſæ formales extrinſecæ, quod & exemplari adaptant. Si dicas: *Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus; qui recipit, mutus, non obſtans, non manifeſtans*: cauſat quoque. Reſpondeo efficienter moraliter.

Obijcies III. data diviſio nec eſt immediata, nec univoca; primum quidem, quia debebat dividi in intrinſecam, & extrinſecam; alterum, quia finis duntaxat intentionaliter cauſat, aliæ realiter. Reſpondeo non eſſe quidem immediatam, ſicùt nec univerſale diviſum in quinque ſpe-

cies,

cies, ob majorem claritatem; esse tamen univocam, nam ab ijs ratio *causæ ùt sic* abstrahitur &c. & licèt finis intentionaliter moveat, hoc verè ac realiter fieri edocebitur.

Quæres primò: quotuplex sit causa materialis? Respondeo duplicem; *primam* & *secundam*; Prior censetur illa, *ex quo* componuntur omnia entia physica, sivè ponatur Aristotelica, sivè sensibilis: Altera est id, *ex quo* fit unum singulare physicum præ alio, v. g. alia sunt sensibilia vini, alia panis. Nec dicas: omnia convenire in materia; hoc verùm est de materia prima, non secunda, nam pannus est materia togæ, lignum est materia secunda baculi &c.

Quæres secundò: quotuplex sit causa formalis? Respondetur duplex: *intrinseca* & *terminativa*, non autem quadrat *extrinseca* nominetenùs; quia ægrè ferendum est, causam intrinsecam dividi *in intrinsecè & extrinsecè denominantem*; unde præstat uti vocabulô *terminativa*; prima est cujuscunque rei forma, qua denominatur, & ab alijs distinguitur in esse physico; altera, quæ quodammodo rem determinat, ac specificat, absque eo, quòd sit pars, ejus constituens, velùt objecta respectu actuum.

QUÆSTIO III.

Quid sit causalitas in actu primo, & secundo?

DIco: causalitas in actu primo est ipsa entitas absoluta causæ, nata talem effectum producere; causalitas verò in actu secundo est relatio posterior causæ ad effectum. Ita Doctor Subt. expressè in 2. d. 1. q. 2. cum suis contra extraneos, & nonnullos ex nostris minùs intelligentes, qui vel docent causalitatem formalem, id est, in actu secundo esse quid absolutum, & modum; alij verò relationem præcedentem naturâ effectum.

Declaratur: quando ignis A, producit v. g. in ligno ignem B, ignis A, priusquam producat, dicitur causa in actu primo, vel fundamentalis, id est, potest producere alium ignem; quando verò producit ignem B, quæritur quid sit illa productio vel actio, qua formaliter in actu secundo denominatur producens, ad quod Respondet Sco. ci. & alibi, *ad absolutum in causa immediatè sequitur absolutum in effectu, & in effectu consurgit primò respectus ad causam, deinde respectus causæ ad effectum.* Hoc significat: posito igne A sinè ullo medio ponitur ignis B, & in eodem instanti temporis, quo ignis B ponitur, fundatur in igne B, tan-

tanquam effectu relatio productionis passivæ, id est passio, quæ terminatur ad ignẽ A, & in igne A eodem instanti temporis fundatur relatio productionis activæ, vel actio, vel causalitas formalis in actu secundo, per quam agens denominatur agere in actu secundo. Sicut de igne, ita de omni præsertim efficiente causa exemplifica; ubi vides causalitatem nec esse absolutum, nec respectivum medium, nec præcedens entitatem effectûs, sed naturâ subsequens, sicùt omnis relatio præsupponit extrema. Nunc

Probatur quoad primam partem: causa in actu primo est entitas non actu causans, sed potens causare effectum: sed hæc virtus causandi proxima realiter est ipsa entitas ejus, quod causa dicitur, Ergò &c. Confirmatur: actio possibilis ad summum foret relatio transcendentalis indistincta realiter ab entitate causæ, Ergò &c.

Probatur quoad alteram partem: causalitas in actu secundo nec est entitas agentis, nec effectus, nec relatio præcedens effectum, nec media inter causam & effectum, nec aliud, Ergò &c. Ptobatur Antecedens per partes: actio est id quo agens dicitur agere, ac illi correspondens passio est id, quo effectus denominatur productus, Ergò est distincta ab agente & effectu.

Respondent Distinguendo Consequens: esse distinctam ab agente nudè sumpto. C. quatenus connotante effectum productũ. N. Contra: requiritur forma agentem hìc & nunc denominans talem id est causantem, quæ forma priùs non erat, Ergò causalitas est forma realiter distincta. Nec dicas esse quidem distinctam, sed per modum absoluti. Contra: ad nullum, aliud prædicamentum pertinet; percurre singula, imò & ipse motus formalis est relatio.

Probatur etiam quòd non sit relatio præcedens, vel media; tùm quia omnis relatio præsupponit extrema; tùm ex Gilberto dicente: causalitas vel actio est, *secundùm quam in illud, quod subijcitur, agere dicimur*; tùm quia omnis alius modus superadditus superfluit, cùm causalitas sic abundè intelligatur.

Obijcies I. causalitas in actu secundo est quid superadditum, Ergò & in actu primo. Probatur Consequentia: ideo in actu secundo, quia tribuit denominationem, quam aliud simile non habet; sed etiam in actu primo entitas potens causare, v. g. ignem, habet denominationem, quam non habet alia substantia, Ergò &c. Respondeo Negando Consequentiam; Probationis Majorem distinguo: quia dat denominationem separabilem, ab entitate. C. in-

C. inſeparabilem N. ſic diſtinctâ Minore: Nego Conſequentiam.

Inſtabis: licèt denominatio qua cauſa dicitur in actu primo potens cauſare, ſit inſeparabilis reſpectu cauſæ proximæ, erit ſaltem relatio tranſcendentalis formaliter diſtincta, per quam in actu primo cauſare dicitur. Reſpondeo tranſeundo totum, quidquid Sannig dicat, nam Sco. ci. & quodl. 8. de realiter diſtincto negat.

Obijcies II. contra alteram partem; cauſalitas in actu ſecundo eſt via, modus, gradus &c. per quam effectus producitur: Ergò debet eſſe prior effectu. Reſpondeo Negando Antecedens, niſi ſecundùm imperfectum & grammaticum concipiendi modum, formaliter enim eſt forma, qua agens denominatur producens.

Inſtabis: non eſt intelligibile, quòd illa forma, qua quis denominatur producens ſit poſterior effectu. Reſpondeo Diſtinguendo Aſſumptum: quòd ſit poſterior tempore. C. naturâ. N. & ſi dicas, quòd ſit perfectio operantis: dico relativa. C. alia N.

Inſtabis: nec eſt intelligibile, quòd ſit naturâ poſterior effectu, ſicùt nec ambulatio eſt poſterior locô, ad quem tenditur. Reſpondeo Negando Aſſumptum: porrò RR. hallucinantur volendo, quòd effe-

ctus sit per modum loci, ad quem pergitur; sed habet se velùt ambulatio, quæ est effectus ambulantis connotans spatium; unde agens potest quidem itineranti assimilari, sed effectus non loco, verùm itineri materialiter sumpto; Scotus relictis similibus grammaticalibus subtiliori metaphysicâ imbutus, agnovit actionem esse relationem, quæ extrema supponit.

Quæres: an hæc doctrina æquè de causâ materiali ac formali teneat? Respondeo præter illa, quæ sparsim, ac imprimis in quæst. de unione insinuavi, quòd causalitas materiæ, cui ab agente unitur forma, in actu secundo sit actualis subjectatio; causalitas verò formæ in actu secundo est actualis denominatio, quas denominationes intrinsecas doceo realiter distingui à subjectis, quæ denominantur, cùm possint ab ijs separari, adeóque relatio actionis est maximè causæ efficientis. Solet & quæri: an Deus possit supplere causam materialem & formalem. Respondeo Negativè, nèque enim potest aliter denominare, vel denominari; hoc tamen fieri potest, ùt Deus efficienti modo suppleat, id quod materiali præstat subjectum; item quòd effectus secundarios causæ formalis impediat, utì hinc inde declarabitur. Hæc de causis in communi.

DI-

DISPUTATIO II.

De Causa Efficiente, Finali, Exemplari, ac Instrumentali.

CAusa Efficiens antonomasticè causa est, unde eam & appertinentia cum finali,&c. distinctè explorare oportet, nam de intrinsecis aliud non occurrit, nisi quòd materialis sit principium influens, velùt *ex quo*, formalis velùt *quo*; de efficiente igitur sit

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens?

DIcò: causa efficiens optimè definitur: *principium influens esse in aliud velùt à quo*, ita conformiter Philosopho, ac Doctori Subt. 5. metaph. deberétque esse communis, licèt alij longas descriptiones efforment, vel dicant, *quòd sit principium unde motus & quies*.

Probatur primò: aliæ descriptiones, consule Authores, sinè necessitate sunt longiores, imò & obscuriores, & data definitio, quòd sit *principium unde motus & quies*; non convenit omni, scilicet efficienti creativæ, v. g. quando Deus creat angelum, non dicitur mutari, nec fortè soli, nisi enim aliud addatur, vel obscurè subintelligatur, na-

naturæ convenit; neque omnes conveniunt in intelligentia terminorum ejusdem: Ergò præstat aliam dare, si tamen alia est dicenda, cùm eam Philosophi ad eundem sensum reducant. Probatur secundò, ex regulis bonæ definitionis: participat enim rationem causæ ùt sic, addit differentiam, &c. Divisiones ejusdem sunt sequentes.

Primò secernitur in causam *per se*, & *per accidens*. Causa efficiens *per se* dicitur, quæ secundùm naturam suam influit, sic pictor pingit; altera quæ se habet impertinenter ad effectum, sic pictor qui est musicus cantat; circa hanc

Observo, quòd sit divisio in propriam & in impropriam, quia in definitione causæ ùt sic, dicitur principium *perse*, quod participat efficiens ùt sic, Ergò sic impropriè nimis dividitur.

Secundò dividitut in *physicam*, & *moralem*: prima influit sensu proprio v.g. ignis calefacit; altera quæ quidem plusquam metaphoricè agit, fit tamen secundùm imputationem, v.g. judex reum sententiando occidit.

Tertiò in *principalem*, & *instrumentalem*: prior agit virtute propriâ, v.g. homo scribit; posterior virtute alienâ sibi impressâ, sic calamus scribit, sed de hac quæst. 3.

Quartò

Quartò in *immediatam*, & *mediatam*; utraque subdividitur in *virtutis*, & *suppositi*, & rursus in *essendo*, *ac causando* lege Mastrium, Sannig, &c.

Quintò alia est *totalis*, alia *partialis*, quarum explicatio aliunde constat; sicut totalis alia est *totalis totalitate causa & effectûs*; alia totalis *solâ totalitate effectûs*; ita & partialis alia est *partialitate causa*; alia partialis *partialitate effectûs*. Causa totalis *totalitate causa & effectûs* est, quæ sola totum effectum ponit, v. g. Deus creat angelum: causa totalis *totalitate effectûs*, quæ quidem totum effectum attingit, sed non sola; sic equus trahit navim totam, si sint duo, & hæc semper est partialis *partialitate causa*; si verò sint duo equi portantes singuli medium modium avenæ, dicuntur causæ quoque partiales *partialitate effectûs* respectu totius modij.

Sextò in *univocam*, & *aquivocam*; *universalem*, & *singularem*; *primam*, & *secundam*, ac, quod ferè est idem *efficientem dependenter à subjecto*, velùt omnis creatura de facto (an de possibili possit creare alibi dicam) & *efficientem independenter à materia*, qualis est causa prima vel Deus creans angelum; item in *naturalem*, & *artificialem*, & *supernaturalem*, quæ sunt facilis intelligentiæ, donec suô locô funditùs explicentur.

Se-

Septimò in efficientem *ùt quo*, & *ùt quod*, sivè ùt alij *virtutis* ac *suppositi*; prima est virtus, per quam agit, v. g. causa *quo* ignis agit est forma, vel calor ignis; altera est individuum vel singulare quod agit.

His alij addunt causam *præscisam* & *non præscisam*; per primam intelligunt illam, qua positâ ponitur effectus, qua sublatâ tollitur; sic humanitas dicitur causa risibilitatis; posterior qua sublatâ tollitur quidem effectûs, eâ tamen positâ non ponitur semper, sic animal causat hominem; sed istæ metaphysicæ emanationes non debent reponi inter efficientes physicas. Alij addunt efficientem *qua intrinsecè denominatur*, & *extrinsecè*, sed hanc non esse necessariam, in 1. Sent. de immutabilitate Dei instruam. Porrò hæc opinio supponebat contra Veteres, verè à parte rei dari causas efficientes, non tantùm Deum, sed etiam creaturas quædam efficere, Avicenna tamen aliud non videtur voluisse, quàm negare efficientiam ex principijs Aristotelis, cui facilè subscriberem, si mihi soli & non proximo satagerem.

QUÆSTIO II.

Quid, & qualis sit causa finalis?

Dico: Causa finalis, quæ definitur: *cujus gratiâ aliquid fit*, vel *propter quam aliquid fit*,

sit, quod idem est, vera & realis causa est censenda. Ita Sco. 2. phy. q. 9. & nostrates permiscuè litem de nomine facientes.

Suppono autem quòd finis sit triplex, *finis qui*, & est illa res quæ amatur, & propter quam operatur; *finis cui*, & est persona, quæ sibi in fine *objectivo vel qui* complacet; ac *finis quo*, & est ipse actus formalis, *quo* appetitur. Porrò finis *cujus vel qui* alius est *ultimus*, & hoc simpliciter utì solus Deus, vel *in certo genere*, & hic non ordinatur ultrò; alius *non ultimus*, qui ultrò dirigitur; item alius *est operis* vel ex natura rei; alius *operantis* id est ex beneplacitis; exemplum primi est utens medicinâ pro sanitate; secundi pro pulchritudine membrorum; suppono insuper, licèt finis *qui* vel *objectivus* vel *cujus* primariò rationem finis habeat, connotari tamen finem *cui*: quibus suppositis.

Probatur primò definitionis bonitas; eò quòd omni & soli conveniat, si enim res dicantur esse propter dispositiones, fides propter revelationem, &c. *propter*, non significat in cujus gratiam, sed causam *à qua*.

Probatur secundò: quòd finis sit vera, ac realis causa; tùm quia participat rationem causæ ùt sic; tùm quia causa finalis influit independenter ab omni operatione in-

intellectûs, v. g. sanitas movet ad utendum medicinâ, quod sanè non est opus intellectûs. Confirmatur: non minus est verum dicere, quòd finis sit causa *propter quam*, quàm quòd materialis sit causa *ex qua*, efficiens à qua; sed priores sunt reales: Ergò, &c. Probatur Major: ideo de illis est verum dicere, quia reverà sunt id *ex quo*, *à quo*, sinè ope intellectûs; sed reverà finis est, *propter quem*: Ergò, &c. Confirmatur adhuc: licèt finis sit ultrò intentionalis, & non ita strictè realis, ùt efficiens, per hoc non sequitur esse metaphoricam vel fictam causam.

Respondent: esse veram ac realem causam moralem. C. physicam. N. Contra: vel intendunt finem esse causam intentionalem, sed tamen à parte rei, & sic coincidimus; vel putant esse purè intentionalem absque ulla causalitate à parte rei, & hoc falsum est, quia finis dicitur movens, & potentia mota sinè ope intellectûs; hinc quoque falsum est dictum Mastrij, hanc esse motionem metaphoricam, non realem, quia certè potiori sensu sanitas movet ad utendum medicinâ, quàm dicantur prata ridere, montes stupere, &c. vel dic cum P. Geraldino, sicut risus prati est metaphora, & tamen amœnitas prati realis est, ità bonitas rei moventis quæ intentionaliter

&

& objectivè existens habet rationem finis in actu primo, esse realem, causalitatem verò finis in actu secundo, esse relationem minùs realem; sed dico, quòd nec hæc sit merè rationis, præsertim quando est bonitas vera, non præfixa & apparens; de fine tamen in actu primo ac secundo, me infrà declarabo.

Obijcies: omnis vera ac realis causa debet existere realiter, sed finis sæpè non existit realiter, imò si existat, hoc est per accidens: Ergò &c. Major patet: quia causa realis debet habere influxum realem. Respondeo N. vel Distinguendo Majorem: debet existere realiter actualiter, vel realiter intentionaliter. C. necessariò actualiter N. Majorem; sic transeundo Minorem interim; Nego illatum; ad probationem dic, finem habere influxum realem intentionalem; sicut passiones gaudij, tristitiæ sœpè causantur ab objectis intentionaliter existentibus.

Instabis: illa existentia intentionalis nihil est à parte rei, aliàs ab æterno fuissent creaturæ; Ergò non sufficit ad causalitatem realem. Respondeo Distinguendo Antecedens: nihil est actualiter physicè existentis. C. objectivè sinè ope intellectûs existentis N. sic plurima solves.

Inſtabis: illud eſſe diminutum eſt contra Sco. in 1. d. 36. & eſtò daretur, in eo nequit fundari reſpectus realis, Ergò nec cauſalitas realis. Reſpondeo ad Sco. ſicut de ideis, imò ille eſt Author ac Fautor tertij ſtatûs, ſaltem in ſingularibus; ad ſecundum dici poſſet, finem eſſe tantùm cauſam realem in actu primo, in actu ſecundo verò eſſe motionem metaphoricam, ita inſinuatur 1. de Gener. vel tandem Reſpondeo Negando ſuppoſitum: quòd ad cauſam finalem non pertineat *finis quo*, id eſt amor vel concupiſcentia habendi, finis iſte ſemper eſt actus realis natus fundare reſpectum realem moventis potentiam. Pro quo

Obſerva: quando quis operatur ùt divitias acquirat, cauſam finalem *in recto*, eſſe deſiderium divitiarum; bonitatem verò divitiarum intentionaliter exiſtentium eſſe finem *in obliquo*, *connotativè* perſonam deſiderantem, ex quibus totus finis integratur; ubi vides, non tantùm deſiderantem eſſe realem, ſed & ſtrictè illud deſiderium, divitias verò ùt bonas intentionaliter eſſe à parte rei, & modô iſtô plus convincitur, ſcilicet finem *in recto* eſſe ſtrictè, *in obliquo*, intentionaliter realem, quod ùt clariùs percipias.

Quæres primò: quænam ſit cauſalitas fi-

finalis in actu primo? Respondeo: esse desiderium habendi aliquod bonum sivè verum, sivè apparens, cognitionem verò illius boni esse tantùm conditionem; hanc fortè nemo tradidit; quia alij docent esse cognitionem; alij bonitatem veram solam; alij & apparentem; alij & indifferentiam, vide Mastrium & Compendiatores: at quod sit illud desiderium

Probatur breviter: finis *est id, cujus gratiâ aliquid fit*: sed unus laborat, quia desiderat divitias, alter honores, tertius cœlum: Ergò hoc desiderium habendi *in recto* est causa finalis, bonitas verò *in obliquo*; ita Sco. q. 4. prol.

Quæres Secundò: in quo consistat causalitas in actu secundo? Respondeo: si finis in actu primo sit desiderium illud, causalitatem in actu secundo esse realem relationem fundatam in illo desiderio, terminatam ad potentiam; si verò bonitas sit finis in actu primo, finis in actu primo erit quidem intentionaliter realis, in actu secundo tamen non semper erit relatio realis, puta si bonitas sit tantùm apparens, si verò vera bonitas, adhuc erit relatio aliquo modô diminutô à parte rei, fundabitur enim in bonitate vera intentionaliter existente: Cæterùm aliquando & primò bonitas movet, ut desideretur, deinde desi-

derium habendi movet ut quis operetur ad possidendum bonum illud.

Quæres Tertio: an possit bonum non cognitum movere? Respondeo Negativè absolutè, *nihil enim volitum, nisi præcognitum* aliquo modô. Nec dicas: voluntatem non esse subordinatam, vel maximè quoad actus cum fine tendentes, de quibus loquor. Si petas: an malum quà tale possit habere rationem finis? Respondeo Negativè: quia ad minus erit præfixa bonitas; vel dic. in ordine ad detestandum.. C. eligendum N. Si rursus: an finis sit nobilior alijs causis? secundùm se Concede; in ratione causandi Nega cum P. Sannig, qui sibi hic contradicit à capite ad calcem, dum loquitur cum alijs de motione metaphorica, & Numero 12. dicat finalizare penes esse non reale, sed intentionale, & tamen causalitatem finalem in actu primo ponit in entitate reali, & formalem in relatione ab hac reali resultante: contradicit sibi quoque Hermann, q. 2. n. 3. & q. 3. n. 1. *dico primò*, & est contrarius Scoto q. 4. prol. dicenti, *finis non causat, nisi in quantum amatus & desideratus*, ubi vides, desiderium habendi bonitatem constituere finem in actu primo. Tandem quæri solet: quænam agentia agant propter finem?

Re-

Respondetur: comparando media, eorumque utilitatem cum fine, Deum, angelos, & homines, propter finem agere, simplici verò intuitu, ac cognitione sensitivâ etiam bruta. Cætera de actibus humanis, vel alibi tradam.

QUÆSTIO III.

Quid sint causa Instrumentalis, & Exemplaris?

DIco: Causa Instrumentalis est illa, *quæ agit in virtute principalis agentis*: Exemplaris verò est *ratio objectiva in mente artificis, secundùm quam formatur exemplar.* est Sco. quoad utramque partem diversis locis, quoad primam in 4. d. 1. & 6. contra Poncium; quoad alteram in 1. d. 2. q. 2. contra Thomistas: qui volunt esse conceptum formalem: RR. utrique scholæ se miscent.

Declaratur: *primò* instrumentum est duplex, *improprium*, & sic omnis causa aliquo modo alteri subordinata & deserviens, ac omnis creatura est instrumentum Dei; *proprium* est definitum v. g. calamus, serra, quod est subinde activum, subinde passivum, de quo infra. *Secundò* & causa exemplaris vel idealis est duplex, *interna*, *& externa*: externa est id, cujus similitudinem imitatur artifex, ponendo illud extra

mentem, v. g. ante oculos ſtatuam Jovis, quam pictor æmulatur; interna, de qua agimus, eſt talis idea in mente, quales in mente Dei collocat Sco. in 2. d. 35. q. 1. Nunc

Probatur de inſtrumentali, quæ per illam definitionem diſtinguitur à principali; Ergò &c. Si enim ſecundùm ſe poſſet effectum principalis agentis attingere, ad ſummum foret inſtrumentum impropriũ. Confirmatur inductione: calamus non ſcribit, niſi manus utatur calamô, ſerra non dividit, niſi applicata, nec aliud requiritur, Ergò &c. Inſuper hæc definitio convenit inſtrumentis naturalibus, artificialibus, & ſupernaturalibus.

Probatur de Ideali: cauſa idealis non eſt ratio formalis nec aliud, Ergò eſt ratio objectiva. Probatur Antecedens: qui operatur juxta ideam externam, non reſpicit conceptum formalem; Ergò &c. quia eſt in ijs proportio. Nec valet dicere: conſiſtere in utroque conceptu adæquatè. Contra: quæſtio non eſt de repræſentatione formali idearum factarum, ſed de ideis rerum faciendarum, quæ poſteriores ſunt id, ſecundùm quod aliquid efformatur, juxta illud *inſpice & fac, ſecundum exemplar.*

Obijcies I. contra primam partem: inſtru-

ſtrumenta quædam cauſant ſinè virtute principalis agentis; Ergò data definitio non eſt adæquata. Probatur Antecedens: ſi lignum moveretur ſuper ſerram, & cera fixo ſigillo ſuper poneretur. Reſpondet Gabriel à S. Vinc. tali caſu lignum & ceram fore inſtrumenta, ſed lignum quod dividitur, quomodo poteſt eſſe inſtrumentum? Reſpondetur ſecundò, tali caſu ſerram & ſigillum eſſe inſtrumenta paſſiva, non activa, de quibus agitur, neque placet iſtud, quia reverà ſigillum imprimit ceræ liquidæ ſui figuram. Reſpondeo Negando Antecedens; ad probationem dico: adhuc tali caſu ſerram accipere impulſum ab agente, quantumcunque ſtet firma, ipſa enim nihil efficeret, niſi agens eam moveat, vel ſuper eam moveat; idem eſt de ſigillo, & ſi caderet, qui eſt cauſa caſûs, eſſet & cauſa ſubſequentis impreſſionis.

Inſtabis: ſaltem hæc definitio convenit aquæ calidæ rurſus calefacienti in virtute alicujus ipſam calefacientis. Reſpondeo Negando Aſſumptum; quia illa principaliter calefacit, & ſubjectivè ab alio prævié calorem habet.

Objicies II. contra alteram partem: ſi idea eſſet conceptus objectivus, vel foret res facienda, vel facta, vel aliud; nihil poterit dici; Ergò. Reſpondeo: quòd ſit

faciendæ similis existens intentionaliter & objectivè.

Instabis: illa res intentionaliter existens & faciendæ similis non est aliud, quàm formalis repræsentatio alicujus rei jam semel factæ, v.g. si quis vellet facere domum, idea interna non est aliud, quàm formalis repræsentatio alicujus domûs, semel visæ. Respondeo Negando Assumptum: est enim insuper species impressa per modum objecti relicta; vel potiùs est *esse* & *existentia* domûs semel visæ intentionalis & objectiva, quæ non est ens rationis, vel conceptus formalis, vide Logicam.

Objicies III. idea debet dirigere, determinare, regulare &c. sed hoc facit conceptus formalis, Ergò &c. Respondeo Distinguendo Majorem: tanquam illud juxtà quod, C. tanquam ratio formalis N. hinc Seneca Epist. 66. ait, *Exemplar est, ad quod respiciens artifex, id, quod destinabat, efficit*, & ita exprimitur Exo. 25. *inspice* &c.

Quæres: ad quale genus causæ reducantur istæ? Respondeo; de instrumentali jam constare, quòd ad efficientem spectet; aliqui dicunt ideam esse quintum genus, sed si mavis cum communi tenere, dic, rationem causæ *à qua* id est efficientis, vel quia extrinsecè determinat, & formam rei præbet, ad formalem saltem terminativam

per-

pertinere. Hic tandem de causis per accidens tractari solet, sed quia minùs scholastica, alibi de similibus integrum tractatum conscribam.

DISPUTATIO III.

De Causa Efficiente Creata.

PRæter dicta de efficiente, non abs re fit comparatio causarum præsertim secundarum adinvicem, quas singulas difficultates distinctâ dissertatione pro dignitate examinabo, donec de prima loquendi campus erit.

QUÆSTIO I.

An accidens possit producere substantiam?

DIco: accidens nequit producere substantiam. Ita Sco. in 1. d. 37. cum suis & RR. multi contra Thomistas.

Probatur; imperfectius nequit producere perfectius: sed accidens est imperfectius substantiâ; Ergò, &c. Major Probatur; quia nemo dat, quod non habet, nec plus quàm habet, aliàs etiam ex causalitate causæ primæ ejus infinita perfectio concludi non posset. Minor patet.

Respondent aliqui distinguendo Majorem: imperfectius nequit producere per-

fectius ùt *quod*. C. ùt *quo*. N. & dicunt substantiam medijs accidentibus aliam producere. Contra: præterquam quòd accidens esset principium *quod* juxta Thomistas, quia actiones sunt suppositorum, nec imperfectius potest esse id *quo* vel virtus producendi perfectius; Ergò, &c.

Probatur Antecedens: aliàs albedo posset denominare subjectum ultra gradum. Nec dicas: hic esse efficientem. Contra: sicut forma accidentalis nequit ultrà gradum denominare, v. g. albedo ùt duo nunquam faciet album ùt tria, ita nec imperfectius potest esse virtus, quâ quid ultra se & suam virtutem efficienter producat.

Respondent alij sic distinguendo Majorem: in virtute propria. C. in virtute aliena. N. ad Minorem dicunt: accidens in virtute substantiæ, velùt ejus instrumentum producere substantiam, & hoc aliqui per influxum transitivum; alij permanentem volunt dici; at Contra hos & illos; vel illa virtus, quâ accidens producit substantiam est accidentalis; & sic manet argumentum; vel substantialis sivè transitivè sivè permanenter, & ita substantia dicetur agere. Nec dicas cum Cajetano: non esse virtutem quomodocunque accidentalem, sed intransitivam, id est in tali substantia; sed Contra: ipsa manet accidens;

Ergò

Ergò imperfectius, quod nequit continere perfectius, consequenter nec producere.

Respondent alij Distinguendo Minorem: accidens est imperfectius in entitate. C. in activitate. N. Contra: ex infinita potentia agendi saltem à posteriori infertur infinita perfectio entis; Ergò ubi activitas est nobilior,& entitas; sed certum est,quòd accidens deficiat in entitate: Ergò, &c. Nec dicas: materiam & formam esse imperfectiora toto, & tamen illud constituere. Contra: partes unitæ sunt totum. Confirmatur ex Arist. 7. metaph. ubi ad productionem substantiæ prærequirit aliam, & quidem similem, sicut & accidens producit immediatè simile accidens, imò hoc est in accidente perfectio; Ergò non neganda substantiæ.

Obijcies I. Sol producit in visceribus terræ aurum & alia metalla, imò & animalcula; sed hos effectus non causat substantia Solis, cùm non sit debitè præsens; Ergò &c. Respondetur Distinguendo Majorem: dispositivè. C. principaliter efficienter. N. in meis principijs faciliùs ista expedirem.

Instabis: non est alia causa efficiens principalis istarum substantiarum. Nec dicas: Deum facere; tùm quia philosopho indignum est recurrere in talibus ad Deum; tùm quia concursum immediatum negabimus.

bimus. Respondetur tamen Deum illas producere, non concurrendo, sed se solò, sicut animas & angelos creat; & retorquetur: quòd Thomistæ recurrant ad Deum, ùt formam cadavereitatis efficiat; sed ùt verum fatear, licèt retorsio sit bona, & hi & illi peccant, propter principia tamen Aristotelica vix aliter, nisi diceres substantialem virtutem Solis diffundi, & non esse universaliter verum, vivens esse perfectius non vivente, v. g. vermiculum respectu Solis; & hæc sunt noxia, & pejora sunt dicere, dari vermem vel ranam vagam, tales vermes, &c. in terra producentes, experientiâ constat vermes, &c. Arte vel potiùs ex certa putri materia ordinariè fieri posse.

Instabis: accidentia Solis possunt corrumpere substantiam v. g. summum frigus in aqua, producendo summum calorem: Ergò & substantiam aquæ, nam illa non staret cum tali calore. Respondetur primò: Negando Consequentiam; quia imperfectius potest destruere perfectius, at non producere. Responderem Negando Antecedens: quia Solis virtus vix unquam summum gradum attinget; deinde ibi non perit forma aquæ, ùt patet.

Instabis: ferrum ignitum non tantùm potest corrumpere stramen, sed etiam ig-

nem

nem producere, ſed ibi non eſt ſubſtantia ignis; Ergò, &c. Fateor hanc inſtantiam eſſe difficilem noſtris; at negavi Minorem: Si dicas: Ariſtoteles ait: ignis non agit ùt ignis, ſed ùt calidus. Reſpondeo: dum calefacit. C. dum ignem alium producit. N. quando verò dicit actiones eſſe inter contraria, loquitur de alterativis.

Obijcies II. imperfectius poteſt producere perfectius; Ergò & ratio & concluſio nulla ſunt. Probatur Antecedens: poteſt corrumpere perfectius; Ergò & producere; Antecedens patet de igne comburente animal. Reſpondeo Negando Antecedens: probationem diſtinguo: ſi ſint in eodem genere. C. ſi in diverſo. N. ignis & animal ſunt duæ ſubſtantiæ: deinde negatur paritas ùt ſuprà.

Inſtabis: imperfectius in diverſo genere poteſt producere ultimam diſpoſitionem in ordine ad corruptionem; Ergò & ipſam ſubſtantiam corrumpit: Probatur Conſequentia: illa dicitur cauſa viventis, quæ producit ultimam diſpoſitionem: Ergò à pari. Reſpondeo Negando Antecedens: & probationis Conſequentiam; quia in generatione viventis ultima diſpoſitio eſt forma ſubſtantialis, ſcilicet corporeitatis.

Colliges: unam ſubſtantiam non ſolùm accidentia producere, ſed etiam aliam ſubſtan-

ſtantiam, ad quam accidentia concurrunt diſpoſitivè, non autem principaliter ſuâ vel alienâ virtute, quidquid Moriſanus & Pererius reclament, in principijs communibus.

QUÆSTIO II.

An idem effectus poſſit eſſe à duabus cauſis totalibus?

Dico: nec divinitus poteſt idem effectus produci à duabus cauſis totalibus efficientibus, ita Sco. in 1. d. 2. q. 3. S. Tho. 1. parte q. 52. art. 2. & Vaſquez contra alios Doctores ſuæ Societatis.

Probatur argumentô communi: talis effectus à neutra eſſentialiter dependeret, & ab utraque ſimul; ſed hoc implicat dupliciter, ſcilicet ex parte dependentiæ effectûs ad cauſam, & contradictionis; Ergò à duabus produci nequit.

Probatur Major: imprimis dependeret ab utraque, quia omnis effectus dependet à ſua cauſa; deinde à neutra, quòd ſic probo: baptizemus illas duas cauſas A & B, effectus non dependeret à cauſa A; ab illo non dependet effectus, ſinè quo & eſt, & ſubſiſtit, atqui haberet ſuam exiſtentiam & ſubſiſtentiam à cauſa B; Ergò non dependeret ab A, ſic etiam proba non dependere à B, & ſequitur quòd à neutra.

Re-

Respondet Suarez negando ſuppoſitum, quòd effectus dependeat eſſentialiter à cauſa creata quacunque. Contra: nec Doctor Subt. nec Angelicus voluerunt dicere, quòd ſimpliciter ſicut à Deo dependeat; cæterùm negari nequit, quòd per ſe dependeat ab eo, à quo fit, non enim poteſt ab eodem fieri, & non fieri, habere eſſe & non habere idem eſſe.

Reſpondent proinde: quòd ab una dependeret per ſe, & ab alia per accidens. Contra: dependeret ab una ſicut ab altera; deinde omnis effectus per ſe dependet à propria efficiente cauſa, qualis utraque ſupponitur.

Reſpondent alij, dependeret ab utraque indeterminatè. C. determinatè. N. ex quo non ſequitur, quòd à neutra dependeat. Contra: dependeret ab utraque determinatè, & à neutra. Probatur prima pars aſſumpti; ſic dependeret ab unaquaque, ac ſi diviſim ab ea produceretur; Ergò determinatè. Probatur Antecedens: non faciunt vel integrant aliquam unitatem cauſæ vel ordinem; Ergò quælibet impertinenter, & ſinè ordine ad aliam cauſa determinatè cauſans erit: inſuper una cauſa non poteſt ſimul & ſemel habere plures effectus adæquatos; præterea illæ duæ cauſæ conjunctim producentes effectum, eſſent

ſent tantùm totales totalitate effectûs, quia totalitas cauſæ importat, ut ſecundùm idem eſſe ſit à ſe ſolo.

Obijcies I. idem numerô accidens poteſt eſſe in pluribus materijs; eadem forma ſubſtantialis in pluribus ſubjectis; idem corpus in duobus locis; ſaltem ſupernaturaliter, Ergò & idem effectus à pluribus cauſis adæquatis. Reſpondeo primò: negando paritatem, nam accidens poteſt divinitùs conſervari ſinè ſubjecto, item forma, item corpus ſinè loco; ex quo patet non habere talem eſſentialem dependentiam, ſicut effectus petit eſſe à cauſa efficiente.

Reſpondeo ſecundò ſignatè; etiam duo corpora poſſe eſſe in uno loco, non autem duo effectus adæquati ab una cauſa ſimul & ſemel, proùt fatentur RR. teſte Poncio: deinde ſolent noſtri dicere, quòd tali caſu materia una ſit ſubjectum inadæquatum, quando verò duæ formæ ſunt in eodem ſubjecto, ſub alia & alia ratione idē informant; at in præſenti ſub eadem ratione effectus eſſet ab utraque.

Obijcies II. defacto duo ſacerdotes conſecrant eandem hoſtiam, tempore ordinationis; ſed uterque eſt cauſa totalis. Nec dicas: eſſe cauſam moralem, nam & hæc phyſica efficiens eſt. Reſpondeo Negan-

do

do Minorem : vel Diſtinguo : totalitate effectûs. C. etiam totalitate cauſæ N.

Inſtabis : eôdem modô quilibet cauſat ac ſi ſolus; Ergò totaliter utrôque modô. Reſpondeo Negando Antecedens ; vel dico : quantùm adhoc quòd ſit inſtrumentum totam conſecrationem proferens. C. ſolus & ex parte inſtrumenti totaliter N. illa enim cauſalitas ſe extendit, quouſque revelatum eſt.

Inſtabis : Deus in conſecratione velut cauſa totalis adducit corpus Chriſti, & etiam ſacerdos, Ergò &c. Reſpondetur Diſtinguendo Antecedens : Deus velùt cauſa principalis ; ſacerdos velùt inſtrumentalis; quæſtio eſt de duabus ejuſdem ordinis.

Inſtabis : quando Deus concurrit cum creaturis ad actiones, utraque eſt cauſa totalis principalis ; Ergò &c. Reſpondeo Negando ſuppoſitum concursûs immediati : alij dicunt, has quoque eſſe cauſas diverſi ordinis, imò Maſtrius tacitè inſinuat, concurſum Dei ſecundùm modum non eſſe ſufficientem ac totalem ; idem ſignificat, quod Hermann ait : diverſò modô illas concurrere, quod eſſe alterius ordinis; ex his eliges, quæ placet, ſi concurſum negare nolis.

Objjcies III. duo ignes applicati eidem ſtramini, ignem in eo totaliter cauſarent, Ergò &c. Reſpondeo Negando Antecedens: nam vel in diverſis partibus agerent, vel flammam extenderent, vel partialiter ignem cauſarent.

Inſtabis: ponatur ſpatium tantum capax luminis, quantum ab una candela cauſari poteſt, hac accenſâ accendatur & alia, eadem illuminatio erit ab utráque totaliter. Reſpondeo: vel Negando caſum poſſibilem; vel alteram illuminaturam; at quia hoc ſecundum impediri nequit: dico tali caſu, majoritatem illuminationis intellectui ſi non ſenſui fore perſpicuam.

QUÆSTIO III.

An detur Potentia Obedientialis activa in quolibet ad quodlibet?

DIco: non datur Potentia Obedientialis activa in quolibet ad quodlibet. Ita Sco. in 4. d. 1. q. 1. & alibi contra RR.

Probatur Primò: nulla entitas habet virtutem deſtructivam ſui ipſius, ſed ſi foret potentia obedientialis activa in quolibet ad quodlibet (hoc ſignificat, ſi Deus poſſet elevare quamcunque creaturam, ut activè quodlibet produceret) talis entitas daretur; Ergò &c. Probatur Minor: aqua poſſet elevari ad producendum in ſe for-

formam ignis; ſed hæc eſt deſtructiva aquæ; Ergò aqua haberet virtutem ſe deſtruendi.

Probatur Secundò: etſi cognitio, vel ſapientia formalis poſſet recipi in lapide, non tamen denominare illum, & lapis nec per Dei potentiam poteſt producere activè intellectionem, neque productivè neque operativè, nec viſus poteſt elicere auditionem &c. Ergò non datur talis potentia.

Reſpondent ſaniores: intelligi de ijs, quæ non involvunt contradictionem, & ubi eſt virtus quædam inchoata; ſed hi litem de nomine faciunt, nam & hoc Scotiſtæ docent, licèt in particulari ſæpè diſconveniant, an in hoc vel illo ente ſit talis virtus inchoata, v. g. an oculus corporeus poſſit videre Deum &c. Maſtrius tamen inquit, quòd RR. ſimpliciter velint omnia poſſe elevari ad omnia, quod vix credo, niſi voluiſſent in laudibus Dei excedere potiùs, quàm Deo aliquid negare; ſicut enim Deus privatur illo, quod ſemel factū non poſſit facere non eſſe factum, ita & quòd lapis creet angelum &c.

Obijcies tamen: illa quæ nullam habent proportionem, poſſunt ſe invicem cauſare; Ergò ſignum eſt, quòd detur potentia obedientialis in quolibet. Probatur

tur Major: materiale poteſt cauſare ſpirituale; ſed: Ergò. Major patet in ſacramentis cauſantibus gratiam. Minor. quia opponuntur ſicut album & nigrum. Reſpondeo Negando primum Antecedens; probationis Majorem Diſtinguo; materiale poteſt cauſare ſpirituale moraliter. C. phyſicè N. ad Minorem dico: inter ſacramenta & gratiam eſſe quoque proportionem moralem; ſicut enim aqua abluit ſordes corporis, ita baptiſmus depurat animam &c. proùt in Theologia, ubi & de cauſalitate eorum dicetur.

Inſtabis: S. Aug. l. 5. de gener. ait: *poteſtas Creatoris habet apud ſe ſuprà curſum rerum naturalem, poſſe de his aliud facere, quàm earum ſeminales rationes habent*: Ergò non requiritur proportio ulla: adhoc ut quodlibet volente Deo efficiat quodlibet. Reſpondet Hermann eum velle: quòd creaturæ poſſint elevari ad varios effectus ignotos; ſed clariùs dices, inſinuari l.c. potentiam paſſivam; Deus enim illa ſenſibilia poteſt quomodocunque immutare.

Inſtabis: datur & activa potentia obedientialis in omnibus; Ergò &c. Tùm quia apud Deum omnia ſunt poſſibilia; tum quia non eſt diſparitas. Reſpondeo Deum omnia poſſe in ſenſu accomodo, id eſt, quæ non implicant contradictionem; diſpa-

ra

ratio verò inter activam & passivam est, quia prior arguit perfectionem, altera dependentiam à potiori; & quia per posteriorem res immutantur; porrò proùt res sœpiùs mutatur, ita & diversificat actus; vel undè nec passivam simpliciter admitto, sed quantùm res transmutari possunt à Deo.

Instabis: creaturæ habent virtutem inchöatam ad quodlibet respectu Dei; Ergò in sensu absoluto potest de ijs Deus disponere, ut quælibet faciat quodlibet. Antecedens patet: quia dependent omni modô & momentô à Deo. Respondeo ùt suprà: dependere omni modô possibili C. aliter N. Nec dicas: principium peti. Contra est: quòd Deus ipse objectivam veritatem possibilium & impossibilium percipiat.

Instabis: supernaturalia possunt produci à naturalibus; Ergò quodlibet à quolibet. Respondetur à naturalibus elevatis, & in quibus est proportio. C. non elevatis, & in quibus non est proportio N. & meliùs sic: supernaturalia quidem posse produci, si natura elevetur suprà cursum, sed non contra-naturalia.

Instabis: nulla est proportio & virtus inchöata in naturalibus ad producenda supernaturalia, sicut nec inter frigus & ca-

lorem, album & nigrum &c. Ergò nihil eſt contra naturam; Ergò Deus poteſt facere ut quodlibet fiat à quolibet. Reſpondeo Negando Antecedens: & dico, non opponi ſupernaturale & naturale, ſicut frigus & calor &c. ſed velùti calor remiſſus, & intenſiſſimus, ad quem, v. g. aliqua creatura pertingere nequit, niſi adjuvetur ſpecialiter à Deo.

Obſerva: Deum poſſe multa & inaudita, ſed nulla, ubi non eſt virtus quædam inchöata naturæ debita, v. g. Deus poteſt facere, ut anima clarè Deum percipiat, quia ipſa radicaliter eſt intellectiva, & ſic de alijs; at impoſſibile videtur, ut lapis quà talis fruatur, videat &c. dico: *quà talis*, quia poſſet immutare, imò & tranſubſtantiare juxtà communem, lapidis conſtitutiva, & ſic alia præſtaret. Hæc potiſſimùm de creata cauſa. Sit

DISPUTATIO IV.

De Causa Efficiente Increata.

QUanquam de Deo agere ſit Theologiæ naturalis, vel ſupernaturalis; ordo & uſus tamen obtinuit, ut præcipuæ quædam difficultates hic prælibentur, quantùm philoſopho convenit; his veſtigijs inhærendo, ſit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Deus immediatè concurrat ad omnes actiones creaturarum?

DIco: causa prima efficiens, vel Deus non concurrit immediatè ad actiones naturales creaturarum. Ita inquirendæ veritatis causâ defendam contra plurimos modernos Philosophos, ac Theologos; est tamen hæc opinio Durandi in 2. d. 1. q. 5. Aureoli, Guilielmi Parisiensis, Henrici de Gandavo, & in eam inclinant Argentinas, Striminensis, Occam, Præpositivus, Lalemandet, Dola, Caramuel, quorum aliqui eam absolutè tenent, alij dubiè, alij exercitij causâ, omnes tamen sentiunt, licitè defendi Deum non concurrere immediatè efficiendo omnes actiones creaturarum.

Probatur Primò: opposita sententia non est de fide; Ergò licitè, ac probabiliter defenditur Deum non concurrere immediatè ad omnes actiones creaturarum; intellige *naturales*, proùt *naturale* opponitur *supernaturali*, nam de meritorijs alibi dicetur. Probatur Antecedens: nullibi habetur in Biblia, vel Concilijs, vel traditionibus; *Deus physicè concurrit immediatè ad omnes actiones creaturarum*: Ergò &c.

Respondent velociter: non haberi explicitè transeat, implicitè N. Contra: tar-

dè, sed seriò, locum afferant, sicut nec mihi neganti materiam primam, nec Carameueli neganti concursum potuerunt afferre, ita semper deficient. Confirmatur: Concilia & SS. Patres definierunt contra Pelagianos, quòd Deus concurrat ad omnem actum supernaturalem vel meritorium, & hoc scripturæ sacræ conformiter; Ergò de naturalibus reliquerunt campum disputandi scholasticis. Tandem Patebit solvendo objectiones.

Probatur Secundò: Deus manet æquè causa prima, primum agens &c. dicendo cum Aug. 7. de Trin. *Deum res, quas condidit, ità administrare, ut suos motus agere sinat*, & cum Eccl. cap. 15. *Deus fecit hominem rectum, & dimisit eum in manibus consilij sui*, id est, Deus decrevit creare hominem, illi dare potentiam agendi vel non agendi, agendi hoc vel contrarium, eumque statuit conservare cum hac potentia, ità ut eum relinquat in naturalibus facere quod vult, Deus inquam, sic loquendo, manet æquè causa prima &c. quàm dicendo, quòd concurrat immediatè; Ergò fundamentum adversæ sententiæ à ratione ruit. Probatur Antecedens: quia si Deus creaturæ non dedisset illam potentiam, nec eam conservaret, nihil posset; Ergò adhuc manet causa prima, primũ conservans &c.

idem

idem videtur voluisse Arist. lib. 1. de Univers. c. 26. Nec valet authoritates tales non esse exclusivas concursûs; quia docent Deum dedisse potentiam, & ultrò creaturas relinquere se solis agere, eligere ignem & aquam, bonum vel malum, prout volunt.

Probatur Tertio: Si Deus concurreret ad omnes actiones creaturarum, etiam ad peccaminosas; hoc dici nequit; Ergò nec illud. Minor constat ex eo Ps. 5. *non Deus volens iniquitatem tu es*, Sap. 11. Jerem. 19. Hab. 1. Ps. 50. Trid. sess. 6. can. 6. Dyon. c. 4. de divin. nominibus. Damasc. l. 2. de fide &c. damnantes Calv. l. 1. instit. c. 18.

Respondent minùs docti: hoc esse argumentum commune, sed igiturne solutum?

Respondent paulò plùs versati: Distinguendo sequelam, etiam ad peccaminosas materialiter consideratas. C. formaliter sumptas N. & dicunt l. c. velle, quòd Deus non sit author peccati quoad esse formale. Contra: vel creatura entitatem materialem, v.g. blasphemiæ ponit, quia Deus ab æterno voluit ut eam in tempore poneret; vel Deus concurrit, quia creatura voluit; vel simul ab æterno voluerunt, sicut in tempore concurrunt; quidquid responderint, impugno in Theologia,

 Ergò.

Ergò. Confirmatur: Theologi docent aliqua peccata esse intrinsecè mala, quorum entitas materialis nequit poni sinè formali malitia; Ergò si Deus voluerit ab æterno illa quoad materiale, sicut in tempore concurreret, & formalis malitiæ causa esset.

Responsiones ad hoc argumentum & confirmationem ultrà viginti collegi, & refuto in tractatu de Peccatis; hìc enim eas omitto, quia requirunt scientiam theologicam.

Probatur quartò: tum quia nulla est necessitas hujus concursûs; tum exemplô artificis facientis horologium, se solò operantis, quod nobiliùs est, quàm si continuâ directione indigeat, & sicùt Mundus præter conservationem sui non eget alio concursu, ita nec Microcosmus, id est parvus mundus, qui homo dicitur, eget in suis actionibus naturalibus simultaneo concursu.

Obijcies I. Deum physicè immediatè concurrere ad omnem actionem creaturæ, non solùm Philosophorum, sed & Theologorum fuit constans opinio; opposita vocatur erronea, vel saltem errori proxima, ab Hyer. tribuitur Pelagianis. Respondeo ùt sæpè dixi; & nunc quoque in Lalemandeto legi, RR. Theologos sæpè temerè

rè hæc & illa de fide facere, quæ revera non ſunt de fide, ſuſpicari errorem ubi non eſt, Hyer. loquitur de actionibus ſupernaturalibus; ad ſummum infertur oppoſitam eſſe extrinſecè probabiliorem.

Inſtabis: præter communem opinionem Theologorum iſta veritas habetur in ſcriptura ſacra, Actorum 17. creaturæ dicuntur *in Deo eſſe, vivere, & moveri.* Gen. 1. *vidit Deus cuncta quæ fecerat.* Eccl. 3. *cuncta fecit.* Joan. 5. *Pater meus uſque modo operatur.* Et ſimilia Act. 4. ad Rom. 11. Iſa. 26. Lege Suarez Diſp. 21. metaph. Sect. 1. Valentiam Diſp. 3. de Deo Creatore, &c. Reſpondeo: multos ex Adverſarijs concedere hæc loca poſſe commodè explicari; quòd Deus primordialiter omnia produxerit, cœlum & terram, &c. Deinde, quòd nihil meritoriè ſinè ipſo agere poſſimus: inſuper, quòd nihil fiat abſque Deo permittente, & conſervante; hinc generaliter diſtinguo; Ergò concurrit vel mediatè vel immediatè. C. ſemper immediatè. N. vel concurrit ad omnia ex quibus in Deo imperfectio ſequitur. N. ad alia tranſeat, quia de nullis naturalibus eſt neceſſitas: his aſſentit Arriaga Diſp. 10. phy.

Inſtabis: *omnia opera operatus eſt in nobis.* Iſa. 26. Ergò concurrit immediatè ad omnes & ſingulas actiones noſtras. Reſpon-

deo

deo non dixit: *physicè* non addidit: *immediatè*, & *naturalia* & *supernaturalia*, &c

Instabis: saltem negari nequit, quod SS. Patres hoc velint intelligi de omnibus omninò immediatè; hinc Hyeron. ad Pelagium: *audi ingrate Apostolum* prædicantem, *sivè manducatis*, *sivè bibitis*, *sivè aliud facitis*, *omnia in nomine Domini agite*. Respondeo: clarum esse, quòd iste Sanctus doceat, ùt sint meritoria, debere fieri sic; quod & ego doceo: deinde affero pro retorsione sylvam authoritatum, quòd Deus non causet peccatum, quod tamen inde sequeretur.

Instabis: authores ipsos nostræ sententiæ fateri, quòd opposita sit probabilior: Ergò illa non faciet Deum peccati authorem; imò pro opposita stat totus Mundus; pro nostra Durus Durandus & Dola dolo ductus. Respondeo: si nec hi docuissent eam, me semper inclinâsse; transeat esse probabiliorem extrinsecè, non intrinsecè; imò plurimi eam ex consuetudine docuerunt, & potiùs supposuerunt, alij ob rationes pseudopoliticas.

Instabis: S. Aug. l. 5. Gen. ad litt. absolutè mentem suam sic exprimit: *qui arbitrantur cætera jam fieri ab ipso mund' sicut Deus ordinavit, & jussit; Deum autem ipsum nihil operari; contra hos profertur illa sententia*

Do-

Domini : Pater meus usque modò operatur. Joan. 5. Respondeo ad Aug. & locum ùt suprà; vel dico Deum coöperari moraliter transeat, imò in fine seipsum explicat, his verbis: ita dicit Apost. *tu nudum gramen seminas, Deus autem dat illi corpus sicut vult.* addo: quod Aureolus dicat, suô tempore utramque sententiam fuisse celebrem; & nunquid quondam solennis sententia erat, B. Virginem maculatè conceptam esse? quod modò pij Authores mecum horrent audire, taceo docere.

Instabis: ipsi Ethnici agnoverunt concursum Dei, vide Arist. 2. metaph. tex. 4. & in lib. Aristotelis de Theologia Ægyptiorum, & lib. de causis, utì eum citat Raynaudus. Respondeo ùt suprà; & retorqueo argumentum locis in probatione allatis; præterquam quòd ex Mirandulo constet, opera illa de Theol. Ægypti. non esse Aristotelis, sed Arabum & Saracenorum docentium creaturas nihil agere, quos forsitan impugnavit Aristoteles.

Obijcies II. omne ens creatum dependet immediatè à Deo *in fieri, esse,* & *conservari*; Ergò Deus concurrit immediatè physicè ad omnes actiones crearurarum; aliàs talis actio & effectus à tali dependentia excluderentur: Respondeo Distinguendo Antecedens: à Deo vel immediatè permittente,

tente, ac conſervante, vel concurrente Negando Antecedens, Conſequentiam, ac probationem.

Inſtabis: *conſervare, permittere, producere, concurrere* in Deo ſunt idem; Ergò ſi immediatè conſervat: & concurrit. Reſpondetur interim: eſſe idem realiter, vel ex parte Dei & actûs. C. connotativè. N. nam Deus ſe ſolô conſervat creaturas, non producit.

Inſtabis: Deus non minùs eſt prima cauſa, & agens, quàm primum conſervans, & permittens; Ergò ſi immediatè conſervat, eodem modô concurrit; licèt non ſit idem *conſervare* & *concurrere*. Reſpondeo Negando Conſequentiam, nam ſolius Dei eſt conſervare, & permittere, ità ut agant creaturæ quàm diu Deus vult; & ceſſent quando vult; at Deus virtutem agendi dedit creaturis, ac reliquit eas ſuos motus agere; undè tantùm mediatè concurrit.

Inſtabis: etſi dederit creaturis virtutem agendi, non tamen ſolitariè, & ſinè concurſu Dei; Ergò, &c. Reſpondeo: ſi per *ſolitariè* velint abſque Dei permiſſu & conſervatione. C. creaturas non agere ſolitariè; ſi verò abſque concurſu immediato ad actiones naturales. N.

Inſtabis: Deus immediatè vult actiones creaturarum: ſed velle eſt concurrere; Er-

Ergò, &c. Reſpondeo ùt ſtatim, vult voluntate permittente, & conſervante; ſic frequenter elides opiniatricem aliarum ſententiam.

Inſtabis: homo v. g. eſt ità pura potentia paſſiva reſpectu Dei, ut nec haberet virtutem agendi, niſi à Deo; nec eam poſſit applicare, niſi Deus concurrat; Ergò, &c. Probatur Antecedens: humanæ voluntatis actus poſſunt impediri à Deo: ſed non aliter, quàm ſubtrahendo concurſum; Ergò, &c. Reſpondeo Negando Antecedens quoad ſecundam partem, & probationis Minorem: hoc enim fieri poteſt non conſervando potentiam, vel non permittendo actum, ipſe enim qui dixit, & facta ſunt, non permittat, neque fient.

Inſtabis: vel non concurreret ad actus aliquos naturales, vel ad nullos. Reſpondeo potiſſimùm intelligi quòd non concurrat ad actus liberos naturales, id eſt, non ſupernaturales, v. g. malos ac indifferentes, ad primos non, quia indè in Deo ſequitur imperfectio directè; ad ſecundos non, quia nec neceſſitas eſt, nec indirectè ab omni imperfectione abſolveretur Deus; poteſt & de naturalibus id eſt non liberis intelligi, nam & ijs generali voluntate dedit agendi virtutem, quæ poſitis requiſitis neceſsè actum ſecundum producat.

In-

Instabis: ut actus liber & naturalis non fiat, requiritur immediata Dei voluntas; Ergò & ut aliquis actus fiat. Respondeo etsi de omissione purè libera vix teneat; Distinguendo Antecedens: requiritur voluntas prohibens. C. concursum substrahens. N. sic ad Consequens: ut fiat, requiritur voluntas permittens. C. concurrens. N.

Instabis: *permittere*, *conservare*, spectant ad genus causæ efficientis; Ergò tamen Deus immediatè efficit omnia. Respondetur *primò*: meliùs spectare ad causam formalem extrinsecam: *secundò*, causam efficientem aliam esse conservantem, aliam producentem; primum Deo convenit, alterum creaturis respectu actionum naturalium; & quidem actio efficiens conservativa moralis magis est, quàm physicè causans, juxtà illud: *jussio consilium, &c.*

Instabis: nulla creatura potest esse sinè Deo; Ergò nec agere. Probatur Consequentia: *agere* enim sequitur esse. Respondeo *primò*: totum esse verum; & sic dicerem tales effectus esse sinè Deo immediatè producente; quòd si duriusculum putes, Nego Consequentiam; axioma in sensu vero significat. Nihil posse agere, quin priùs existat.

Instabis: effectus universalissimus depen-

pendet à causa universalissima; sed *esse* quod accipiunt creaturæ est talis effectus; Ergò, &c. Respondeo ad Majorem: vel mediatè, vel immediatè. C. semper immediatè subdistinguo: *esse* per creationem. C. per immutationem vel generationem. N. Cætera ex sequentibus colliges; & in Theologia idem dilatabo, ubi & solvam argumenta volentium Deum esse causam peccati; & declarabo, cur Deus possit permittere peccatum, & non ad illud concurrere, pro nunc sufficiat, permissionem esse voluntatem subsequentem, non concomitantem.

QUÆSTIO II.

An Causa Prima prædeterminet Secundam physicè ad agendum?

DIco: Causa Prima non prædeterminat secundam physicè ad agendum. Ita Sco. varijs locis cum sua & Neutristica Schola, contra Discipulos S. Thomæ hoc passu degeneres, & intelligitur celebris hæc controversia tam de causis naturalibus quàm liberis.

Suppono per *prædeterminationem physicam*, vel *præmotionem* intelligi qualitatem aliquam physicam, quam Thomistæ docent infundi causæ creatæ in actu primo

aliàs paratæ, in ordine ut possit ire in actum; docent quoque impossibile esse, quòd sinè prævia tali qualitate actum secundum producere valeat, eô ipsô autem, quo qualitas hæc infusa est, infallibiliter actus secundus sequitur; porrò non est in potestate hominis illam qualitatem accipere, nisi suppositâ generali voluntate eam semper dandi, quod addo in favorem Thomistarum explicitè: nec est in pòtestate creaturæ acceptam reijcere; quæ est genuina explicatio prædeterminationis physicæ, licèt juniores quidam rigorem temperare conentur.

Probatur primò: causa creata alia est naturalis, alia libera: sed nec hanc nec illam Deus prædeterminat physicè; Ergò, &c. Probatur Minor: imprimis non naturalem, quod sic Probatur: causa naturalis est illa, quæ ómnibus positis ad agendum requisitis necessariò agit; sed hæc non indiget tali prædeterminatione; Ergò, &c. Probatur Minor: in exemplo v. g. ignis applicatus stramini suppositâ voluntate Dei permittente sufficiens est, & ex natura sua stramen accendet; Ergò non indiget tali qualitate.

Respondent: esse sufficientem in actu primo. C. pro actu secundo. N. Contra: his positis actus secundus infallibiliter imò ne-

necessariò sequitur, omni aliâ qualitate præclusâ, aliàs verè naturalis causa non esset; Ergò, &c.

Respondent alijs terminis idem significantibus: esse sufficientem absque tali qualitate quoad virtutem applicativam. N. quoad virtutem operativam. C. sed eôdem modò impugno: deinde requisita sufficientia sunt ablatio impedimentorum, permissio Dei, approximatio, &c. quid ergò fingere plura.

Probatur deinde, quòd nec causam creatam liberam Deus prædeterminet; causa libera est illa quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere, hoc vel contrarium ponere, sed hanc non præmovet Thomisticè: Ergò, &c. Minor probari solet; quia aliàs tolleretur in causis liberis v. g. homine libertas. Fateor, hæc probatio duræ est concoctionis pro stomacho catholico; sequela tamen patet ex supposito, & explicatione præmissis; tali namque qualitate positâ non potest non sequi actus; Ergò potentia non manet libera.

Respondent aliqui: non manere liberam in sensu composito. C. in sensu diviso. N. sed hæc responsio facilè exploditur: nunquam aliquis operatur, nisi in sensu composito prædeterminationis juxta Ad-

verſ. Ergò nunquam liberè; imò in ſenſu diviſo proximè juxta illos cauſa nequit agere, aliàs ipſa ſuperflueret.

Reſpondent aliter: tolleretur libertas, ſi effectus neceſſitate antecedenti & determinatione *de ineſſe* ſequeretur. C. ſi tantùm conſequenti, & determinatione *de poſſibili* N. & dicunt multa fieri ex ſuppoſitione, quæ tamen ſunt libera. Contra: in cujus poteſtate non eſt antecedens, nec in illius poteſtate eſt conſequens; ſed prædeterminatio eſt actum ſecundum antecedens, nec eſt in poteſtate hominis eam accipere; Ergò nec actus erit in poteſtate hominis: huic argumento alij fidunt, ſed fortè nimiùm ſi

Reſponderent Negando Minorem quoad ſecundam partem: vel diſtinguerent; non eſt ſimpliciter in poteſtate creaturæ eam accipere, ſicut nec concurſum, vel permiſſionem. C. ex ſuppoſitione quòd Deus ſemel ſtatuerit illam qualitatem omni cauſæ aliàs ad agendum paratæ infundere N. Contra tamen: etiamſi ex ſuppoſitione eam poſſit pro libitu habere creatura, non tamen reijcere; Ergò &c.

Reſpondent Diſtinguendo Conſequens: Ergò effectus ſequetur infallibiliter, & ſicut Deus vult, ſcilicet liberè. C. neceſſariò, ac aliter quàm Deus vult N. & retorquent

quent argumentum de prædefinitione Scotiſtica, quàm defendo in lib. 1. ſentent. Contra quidam ſic: nec Deum ab æterno prædefinire antecedenter, ſed concomitanter; ſed malè utpotè contra Scotum, & cum Scientia Media coincidentes.

Reſcripſerunt mihi ex Italia; falſiſſimum eſſe decreta concomitantia eſſe ſcientiam Mediam; imò ex hoc deſumi, me alterutram non debere intelligere. Contra; ego in Theol. apertiſſimè docebo, defenſores ſcientiæ mediæ decretum concomitans quoque admittere, ad minus debere, niſi velint æquè duram concoctionem ac Thomiſtæ juxta ipſos habere. Hæc quæ dico in tenebris; aliquando prædicabuntur ſuper tecta. Sed converto me ad reſponſionem Thomiſtarum, quam ſic impugno: neceſſariò ſequeretur effectus, imò aliter quàm Deus vellet. Probo aſſumptum: Deus vult ut cauſa libera in actu primo omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, & non agere, conſiderando ipſam potentiam ab intrinſeco; atqui hoc tolleretur, quia qualitas eſt ad agendum; Ergò &c.

Reſpondent poſt Caramuelem, qualitas iſta eſt ad agendum liberè ſicùt Deus vult. C. aliter N. imò ſic ego reſpondebo oppu-

gnantibus prædefinitiones. Contra: erunt plurimæ disparitates dandæ, sufficiat ista; quòd prædefinitio nihil sit intrinsecum potentiæ, sicut nec tollitur libertas Petro, casu quo scirem infallibiliter quid esset facturus &c. suô locô & tempore; deinde si cum prædeterminatione stante, adhuc est potestas ad oppositum, vel proxima, vel remota; si secundum, proxima libertas per eam tollitur; si primum, debebit v.g. homo habere duas qualitates oppositas, unam ad agendum hoc, aliam ad agendum oppositum, imò utraque si non necessariò saltem infallibiliter sortietur effectum, sicque homo aget, & non aget, faciet simul benè & malè. In his includitur quo dicunt illam qualitatem dare agere & modum liberè agendi, ac aliæ responsiones.

Probatur Secundò: quia est superflua, ex parte recipientis, ex parte entitatis, ac aliarum circumstantiarum inutiles quæstiones oriri possent, & à potiori de concursu neganda est; si enim concursus admittatur, adhuc ipsa proscribi debet; imò etsi difficile sit libertatem cum ea salvari, non tam ex hoc capite, quàm ex ineptitudine propria, & abundantia reijcienda est.

Obijcies I. Aristoteles & S. Thomas varijs

rijs locis docent cauſam ſecundam prædeterminari à prima, ille 8. phyſ. tex. 33. iſte q. 7. de potentijs art. 7. Reſpondeo Negando, quòd locis ci. aliud velint, quàm primum movens, id eſt Deum, dare ſecundis moventibus virtutem agendi, id eſt potentiam, quâ ſuppoſitâ conſervatione operentur; hinc eſt quod utriq; quoad nomen ignota, quoad rem verò dicatur contraria. Alij eos explicant de motu concomitanti.

Inſtabis: SS. Patres dicunt Deum prævenire, excitare, movere creaturas ad agendum; Ergò non ſolùm Deus dat ijs potentiam, ſed & prædeterminat. Antecedens probant plurimis locis. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens, & probationes: extrinſecâ prædefinitione ab æterno. C. Phyſicâ prædeterminatione in tempore N. deinde illi loquuntur de actibus ſalutaribus, per gratiam efficacem, de qua alibi, non verò de naturalibus quos examinat phyſicus. Nec dicas, illos actus ſalutares eſſe nihilominùs liberos; Ergò & naturales manerent liberi, & ſic potiſſima ratio evaneſcit. Negatur paritas: quia gratia fit efficax per coöperationem voluntatis creatæ extrinſecè prædefinitæ.

Inſtabis: in Catechiſmo Romano Juſſu Pij. V. edito habentur hæc verba, *Deus*

actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen, cùm ejus occultissima vis ad singula pertingat; & similia Plura P. Gonet ac alij Thomistæ conscribunt. Respondet aliquis Scotista, istum Catechismum, & libros & definitiones Conc. esse scripta à Thomistis, hoc valeat quantum licet; alij dicunt Deum prævenire prioritate à quo. C. in quo N. & hoc explicant sic, si Deus & creatura simul agant, Deus posset se solô effectum producere, & hinc dicitur prioritate *à quo* priùs agere, nullo autem instanti neque naturæ *in quo*. Alij dicunt locum istum non esse de fide sed doctrinaliter positum; ego dico: quod præveniat extrinsecè. C. intrinsecè N. Nec dicas, habetur ibidem *agunt aliquid intima virtute admotum*, per intimam virtutem intelligo potentiam à Deo datam, & in omni actu agere permissam. Sic etiam dic, quando dicunt Deum dare agenti ipsum esse applicare creaturas ad operandum, excitare, determinare, movere &c.

Obijcies II. Deus est primum movens, & creatura velùt instrumentum; sed causa principalis ante actum secundum debet instrumento impulsum dare; Ergò &c. Respondeo Distinguendo Majorem; creaturam esse instrumentum improprium. C. pro-

proprium N. sic distinctâ Minore N. Consequentiam, vide quæst. de causa instrumentali.

Instabis: estò non sit proprium instrumentum creatura, omninò debet à Deo dirigi, juvari, &c. Respondent Authores defendentes concursum: directione & motu concomitanti. C. prævió N. & si stringantur, adhuc recurrunt ad prioritatem *à quo*; illum verò negantes dicunt, dirigi mediatè, extrinsecè ab æterno &c. quod superest quæst. sequenti solvetur.

QUÆSTIO III.

A qua causa proveniat determinatio effectûs quoad speciem, & individuum?

DIco: causas creatas tam naturales, quàm liberas seipsas determinare & quoad speciem, & quoad individuum effectûs. Conclusio sequitur ex præcedentibus, quoad primam partem, scilicet de determinatione ad speciem, est ferè communis; quòd verò etiam se determinent creaturæ ad individuum effectûs, est contra Poncium, Mastrium ac ejus Compendiatores &c. sensus est: quando causa aliqua producit effectum, cur potiùs in hac specie, quàm alia producat, v.g. cur homo potiùs amorem, quàm odium; & hanc determinationem adscribimus ipsis crea-

 turis.

turis. Item cur potiùs hoc individuum, quàm illud producatur, v g. amor A quàm B, & hoc alij Deo, nos quoque creaturis adſcribimus.

Probatur prima pars: cauſæ creatæ quoad ſpeciem nec determinantur ab increata, nec alia creata; Ergò ſeipſas hôc modô determinant. Probatur Antecedens: cauſa neceſſaria imprimis nata eſt talem effectum ſortiri, v. g. ignis ignem, & non alium; Ergò &c. Nec dicas, eam à circumſtantijs determinari. Contra: illæ ſunt quidem conditiones *ſinè quibus non*, at non ſunt cauſa determinans; in quibuscunque enim circumſtantijs ponatur ignis, vel deſinet eſſe ignis, vel ignem producet: de liberis quoque, quia ijs imputatur effectus ſpecificus; Ergò debent eſſe id, à quo determinatio proveniat; ſed iſta ratio non ſapit alijs: igitur

Probatur ſecunda pars: non tantùm imputatur cauſis ſecundis effectus quoad ſpeciem; ſed etiam individuum; Ergò ſi cauſa ſecunda ſe determinet ad ſpeciem, etiá ad indviduum. Antecedens declaratur: non tantùm meretur ſimpliciter, qui elicit actum virtutis, ſed etiam plus meretur, qui intenſiorem actum elicit; Ergò ſicut determinatio ſimpliciter & quoad ſpeciem, ita & quoad individuum provenit à cauſa

creata.

creata. Confirmatur: ideo homo eſt cauſa peccati, quia ſe determinat ad ſpeciem peccati, & ideo eſt cauſa gravis, quia ad tale individuum ſe determinat; aut ècontra ſi Deus determinaret creaturam quoad ſpeciem, juxta Adverſarios foret cauſa peccati; Ergò ſi Deus determinaret ad individuum v. g. intenſum, eſſet cauſa tanti peccati, juxta illud: *ſicut ſe habet ſimpliciter, adsimpliciter, ita ſecundùm quid, ad ſimile.*

Reſpondent Authores ci. Deum determinare quoad materiale individui peccati. C. formale. N. Contra eſt *primò* de peccatis intrinſecè malis; *ſecundò* ſi determinaret ad ſpeciem, verè eſſet cauſa peccati; Ergò & tanti, ſi ad individuum; niſi dicerent in ſpecie non eſſe aliud materiale, aliud formale, ùt in individuo; *tertiò* creatura non priùs ſe determinat ad ſpeciem quàm individuum in actu ſecundo; determinare enim eſt idem quod producere; imò ex hoc capite difficile ſalvatur, quomodo Deus non determinet quoad ſpeciem in opinione admittente concurſum.

Reſpondent: Deum ad ſpeciem condeterminare, & quoad individuum determinare. Contra: imprimis utrumque falſum eſt ex ſuppoſito negati concursûs; deinde hôc admiſsô, Deus quo ad individuum non prædeterminat; Ergò condeterminat æq; ac quoad ſpeciem: ex quò Pro-

Probatur tertiò: etiamsi Deus dicatur concurrere quoad speciem actûs, non tamen determinat eam; Ergò licèt & concurrat ad individuum, nec ad illud determinabit. Confirmatur: *effectibus in genere assignantur causa in genere* determinato; Ergò *effectibus singularibus causa singulares* determinatè ex Philos. 2. phys. addo *determinato* ad præcludendam responsionem Mastrij.

Ocijcies: à causa indifferente & indeterminata, non potest produci effectus determinatus; sed causa libera in actu primo positis omnibus requisitis est indifferens; Ergò ab illa nequit determinatus effectus procedere; Ergò saltem quoad individuum deberet determinari à Deo. Ita ferè Vulpes: Major est Arist. 2. Phy. tex. 28.

Respondeo Distinguendo Majorem: à causa indifferente indifferentiâ passivâ. C. activâ N. Majorem, sic distinctâ Minore N. Consequentiam; & retorqueo, quòd nec quoad speciem se determinare posset.

Instabis: nec à causa indifferente indifferentiâ activâ potest esse effectus determinatus; quia & ipsa est verè indifferens. Respondeo præter retorsionem: Distinguendo Assumptum; à causa indifferente, & in actu primo, & secundo. C. in actu primo indifferente, per actum secundum se determinante N. In-

Instabis: licèt causa creata bibera per actum secundum se determinet ad speciem, ad individuum indiget determinari, aliàs naturaliter effectum semel corruptum posset reproducere; quia tam ille est nihil, quàm novus producendus. Respondeo Negando Sequelam; probationem explico, & dico: corruptum esse nihil sub alijs circumstantijs, quàm novum; an autem naturaliter idem possit reproduci, præsertim in meis principijs, affirmativa non. est improbabilis, imò & Sco. in 4. d. 43. favet.

Instabis: saltem causa naturalis nata talem specie effectum producere, debet determinari ad inviduum, quia non est major ratio cur hoc, quàm illud producat; ita Rubion. Respondeo Negando Assumptum; ratio remota sunt circumstantiæ; proxima ipsa productio, cur enim pater generat in Africa filium Morionem, & non in Europa. nisi ob circumstantias. Nec dicas: Ergò causa naturalis determinabitur ab his. Dico remotè, at non formaliter, velùt ipsa productio ac determinatio formalis, objectivè determinantur causæ creatæ ab objectis, activè à seipsis: Hæc censui utilia de causis dicta ad M: D: G: N: I: D: I: C: V: M: L: O: SS: H: A: N: S:

TRA-

TRACTATUS III.

In reliquos ſex Libros Phyſicorum; In Libros de Cœlo, & Mundo; Generatione; & Corruptione.

CUm Animaſticam reputem velùt ſpecialem claſſem Philoſophiæ, ac etiam congruentiùs de Meteoris, Elementis, &c. In diſtincta facultate intendam agere; reliquos phyſicorum libros unico duntaxat tractatu abundè comprehendam; ea quæ ſunt communia ſuppoſitivè declarando; & quæ in controverſiam vocari ſolent, uberiùs examinando; eâdem ſerie materiam de Cœlo ac Mundo, Ortu & Interitu ſufficienter exagitabo, quantùm Phyſico ſpeculativo fas eſt. ſit

DISPUTATIO I.

De Motu, Loco, & Vacuo.

POrrò ut ſingula debitô locô moveantur, de motu quærenda movebo, & Loco locum dabo; & nè vacuum detur in præ-

præſenti, ejus exiſtentiam ad minus negabo in univerſo; in Nomine Domini ſit.

QUÆSTIO I.

Quid ſint Motus, Locus, & Vacuum?

DIco Motus definitur, *actus entis in potentia, quatenus hujuſmodi*: Locus verò eſt, *ultima ſuperficies corporis continentis immobilis*: Vacuum tandem dicitur, *locus ubi nihil eſt, ſed aptus repleri.* Hæc ſunt communia, unde ea potiſſimùm ſuppono;

Declaratur prima pars, in qua dicitur: quòd motus ſit *actus entis, &c.* id eſt, quòd ſit tranſitus à termino *à quo* ad terminum *ad quem*; porrò motum dari experientiâ ambulantis ab uno loco ad alterum patet; nec Zenoniſtæ tam motum voluerunt negare, quàm motum ſuppoſitâ declaratione continui ab Ariſt. quibus facilè ſubſcribam.

Colliges: motum pro formali eſſe relationem, ac proinde ad aliam categoriam reduci, quàm mobile & terminus, contra Lalemandetum turpiter hìc errantem, præſertim ſequendo Doctorem Subtilem: ſubjectum motûs eſt ipſum mobile; terminus verò forma, vel locus *ad quem*, à quibus realiter diſtinguitur, utì de omni relatione prædicamentali docebo. Unitas motûs generica, & ſpecifica deſumitur à termino *ad quem*, numerica verò à circum-

ſtan-

ſtantijs ſubjectum afficientibus ; proportio de contrarietate ad unitatem genericam quoad hoc eſt ſervanda.

Examinatur & definitio loci contra illos, qui docebant locum eſſe ſpatium imaginarium, vel reale, vel ipſum *UBI*; tùm quia hujuſmodi ſpatia immaginaria ſunt ficta, locus verò à parte rei, quid enim eſſent? nec ſubſtantia, nec quantitas, nec qualitas, nec privatio, nec relatio, ùt patebit conſideranti ſingula: ſi reale, vel ſpirituale vel corporeum? & ſic quoque inquiram per omnia prædicamenta, ipſum *Ubi* verò eſt ratio per quam dicitur res eſſe in loco; Ergò ipſe locus non eſt: Dicitur itaque primò: *ultima ſuperficies*, cùm ſit quæſtio de loco immediato. Dicitur ſecundò: *corporis continentis*, ad inſinuandum, quòd agatur de loco corporum, & quod locatum debeat quaſi intra locum teneri; additur: *immobilis*, quà talis enim moveri non poteſt.

Obſervandum eſt: quòd ſuperficies ſit duplex: *concava*, & *convexa*. Concava eſt latitudo, & longitudo illius corporis ſinè profunditate ſumpti, quod aliud continet. Convexa verò latitudo &c. ejus quod continetur; in definitione data ſumenda eſt concava, quæ eſt locus materialis, formalis enim dicitur iſta continentia quæ ipſum *ubi* dici poſſet. Ex

Ex his deſcriptio vacui eſt facilis; quippe quòd ſit talis locus potens aliud continere, actu verò nihil continens, quale de facto non datur in Univerſo, cùm experientiâ conſtet, naturam horrere vacuum; unde ſi quis ex fiſtula vitrea v. g. ſpiritum attrahit, aqua aliàs deorſum petens, nè vacuum detur, ſurſum venit &c. ad experientias verò in oppoſitum, v. g. de lucernis undique clauſis, in quibus oleum conſumitur; de vaſe compacto firmiter & in frigore poſito, ut humor contentus congeletur, &c. dico: vel debere poros & foramella eſſe, per quæ aër ingreditur, vel confringi; nec opus eſt ut talia foramella ſenſui clarè pateant, cùm aër ſit ſubtilis nimiùm, & hinc facilem ingreſſum reperiat.

Obijcies contra definitionem loci: ſuperficies aëris ambientis turrim eſt locus turris, ſed hæc non eſt immobilis, cùm flante vento facilè recedat; Ergò locus non eſt immobilis. Reſpondeo Diſtinguendo Minorem: hæc non eſt immobilis, *quà talis* & quàm diu habet rationem loci. N. *quà talis*. C. Nec dicas: Ergò ſi recedat, turris dicetur eſſe ſemper in alio, & alio loco; dico cum Sco. manere eundem locum per æquivalentiam.

Inſtabis: tali modô ſicut turris ſemper

est in eodem loco, etiamsi aër alius numerô succedat, ita & navis deberet dici in eodem loco, quia specie easdem superficies aquæ retinet quanquam pergat. Respondeo Negando illatum; quia & navis, & superficies aquæ migrant; turris autem in pede firmata retinet easdem superficies etiam numericas loci, estò aër circumvolet. Si dicas: inter locum & corpus debet esse proportio; Ergò sicùt locatum habet trinam dimensionem, ita & locus erit corpus secundùm trinam dimensionem. Ita Herman. Respondeo: sufficere proportionem continentiæ, non requiri æqualitatem dimensionis.

Quæres primò: quomodo projecta moveantur? Respondeo per impulsum ab agente impressum, qui impulsus non est aliud quàm virtus proijcientis pro materiali, formaliter verò ipse motus, juxtà illud: *ad absolutum, &c.* Cur verò motus in fine, vel ùt alij propè finem, aut planè in medio sit velocior, exponit Ruvius: quia ab initio impulsus ille superficialiter tangit partes projecti, in medio verò & intimè per qualitatem impressam; sed libentiùs cum Philos. 8. phy. dico: quòd à virtute agentis proveniat, & in fine velocior dicatur, quia projectum est propiùs centrum, non aliter. De motu instantaneo dicam, ubi de Angelis.

Quæ-

Quæres secundò: quotuplex sit locus? Respondeo, primò dividi in locum *communem*, qui continet res diversi ordinis v.g. aër volucres; & *proprium* ac singularem qui locat unum corpus, v. g. superficies sedis in qua sedeo. Secundò in *naturalem*, & est ille, in quo locatum est cum inclinatione v.g. grave deorsùm; *violentum*, in quo locatum est contra inclinationem v. g. grave sursùm; ac *neutrum*, respectu cujus nec petit, nec renuit corpus esse locatum, v.g. attemperatum ex gravi & levi, si daretur. Respondeo tertiò, & principaliter, locum alium esse *definitivum*, alium *circumscriptivum*; primus est, quando totum est in toto & totum in qualibet minima parte, v.g. totum Corpus Christi est in tota hostia consecrata, & totum est in minima quacunque particula, qui locus corporibus divinâ virtute, spiritualibus verò v.g. animæ hominis naturaliter convenit. Circumscriptivus est; quando corpus commensuratur loco, hoc est, quando totum est in toto loco, & pars corporis in parte loci, sicut quævis naturaliter existentia corpora.

Quæres tertiò: an sit possibile vacuum? Respondeo affirmativè per Dei potentiam, v.g. si Deus modo elementum aëris annihilaret. Nec dicas: tali casu corruerent cœli; hoc estò, tamen terra maneret. Sed di-

dicet aliquis: orbis eſt rotundus; Ergò illa ultima ſuperficies orbis eſt vacua, vel Mundus in infinitum extenſus erit, & ſic tali caſu illa ſuperficies ultima terræ nihil contineret, niſi aërem vel aliud imaginariè. Reſpondeo: quòd ultima ſuperficies orbis mutuò contineat illam à qua continetur, vel ibi eſſe vacuum extra univerſum. Ad caſum autem poſitum poſſet & Deus cœlos conſervare ſicut accidentia ſinè ſubjecto; imò à potiori; tùm quia cœli minùs ab aëre vel igne; v. g. dependent, tùm quia adhuc foret medium privativum.

QUÆSTIO II.

An duo corpora poſſint eſſe ſimul in eodem loco?

DIco: ſupernaturaliter fieri poſſe, quòd duo corpora ſint in eodem loco. eſt Sco. in 4. d. 49. & alibi ac Catholicorum contra varios Hæreticos.

Probatur Primò: ab actu ad potentiam valet conſequentia, ſed; Ergò. Minor Probatur: Chriſtus illæſô Virginis Imm. uterô natus eſt; clauſô ſepulchrô ſurrexit; clauſis janùis intravit.

Reſpondent aliqui: ùt videre eſt apud Dominum Iſendorn Profeſſorem Hadervecenum; clauſis janùis intrâſſe, ſed

per

per feneſtram vel aliud foramen; ſed hæc ſunt ludicra nec merentur confutari.

Reſpondet ci. Author januis clauſis, id eſt veſperi ac ſerò intrâſſe; ſed etiamſi apparentiam habeat hæc reſponſio pro prima apparitione Joan. 20. non item alterâ vice; cur enim timuiſſent ac ſpiritum credidiſſent? deinde ſunt & alia exempla.

Probatur Secundò: ratio cur duo corpora naturaliter non poſſint eſſe in eodem loco, eſt quantitas expellens aliud corpus; ſed Deus poteſt impedire, quòd unum corpus aliud non expellat; Ergò poteſt facere ut duo ſint ſimul. Major conſtat experimentô de habentibus diſtinctas quantitates, unde licèt albedo & dulcedo ſint ſimul, tamen ſunt in ſubjecto habente eandem quantitatem. Minor Probatur: expellere aliud corpus fit in genere cauſæ efficientis à quantitate, vel eſt effectus formalis ſecundarius ejuſdem; ſed Deus utrumque poteſt impedire; Ergò &c. Probatur Major: quia effectus formalis primarius quantitatis eſt, habere partes extra partes, vel alius in metaph. declarandus. Minor patet ex dictis; Deus enim nolens permittere talem actum ſecundum, vel expulſionem actualem dicitur impedire eam.

Objicies I. Deus nequit ſupplere effectû

causæ formalis, sed quòd unum corpus expellat aliud, est effectus formalis quantitatis; Ergò nec per Deum id impediri potest; Ergò nec duo corpora esse in uno loco. Respondeo Distinguendo Majorem: effectum primarium nequit &c. C. secundarium N. Majorem; sic distinctâ Minore, Nego Consequentiam.

Instabis: quòd unum corpus expellat aliud, est effectus primarius quantitatis; Ergò &c. Probatur Antecedens: tum quia alius non videtur; tum quia occupare locum divisibiliter est passio. Respondeo Negando Antecedens, & pro nunc pono illum, quòd ratione quantitatis habeat partes extra partes, v. g. licèt corpus Christi in Eucharistia non existat divisibiliter, tamen caput Christi non est collum, nec hoc manus &c. adeóque sicùt ibi impeditur iste effectus, quòd divisibiliter existat, ita & impediri potest actualis expulsio.

Instabis: licèt expellere corpus sit effectus secundarius, tamen impediri nequit, sicùt nec risibilitas in homine. Respondeo: non posse impediri quoad actum primum C. quoad actum secundum N. Nec dicas: actus secundus risibilitatis naturaliter potest impediri; Ergò & quantitatis, & sic naturaliter duo corpora possent esse in eodem

dem loco. Negatur paritas; quia potentia ridendi est per participationem libera, quantitas verò naturaliter, id est necessariò agit, nisi Deus impediat.

Instabis: quantitas est impenetrabilis in actu primo; Ergò in actu secundo penetrari nequit. Probatur Consequentia: aliàs actus secundus repugnaret primo; sicut nec rationale in actu primo, potest habere actum irrationalem in actu secundo. Respondeo Negando Consequentiam, & sequelam; quia quòd quantitas penetretur, hoc ab extrinseco scilicet Deo impediente oritur; nec valet paritas, sed si diceret rationale posse suspendere actum secundum ratiocinandi.

Instabis: sequeretur, quòd quantitas haberet duas proprietates contradictorias; primò enim haberet aptitudinem expellendi; deinde aptitudinem non expellendi. Respondeo homo potest facere, & non facere; at quantitas necessè expellit, nisi agens supremum impediat; hinc licèt sit non libera ratione sui, potest tamen expellere & non expellere per potentiam obedientialem; sicut & in actu secundo dicitur impenetràbilis respiciendo potentiam naturalem, penetrabilis tamen per supernaturalem.

Obijcies II. ex hoc sequeretur, eundem

locum esse bis plenum; item esse plenum & non plenum; imò & eundem effectum provenire à pluribus causis totalibus; & similia absurda. Respondeo ad singula, & dico: esse bis plenum respectu duorum. C. unius N. alteram sequelam nego; quia *Non plenus* significat nullò modô esse plenum; cùm negatio sit malignantis naturæ; vel dico: esse plenum ab uno corpore respiciendo potentiam naturalem, & non plenũ respectu obedientialis: ad tertium dixi tractatu præcedenti.

Instabis: essent duo corpora ùt supponitur, & non essent duo, ùt probatur: punctum cum puncto non facit majus, sed illa corpora penetrata se haberent ùt puncta; Ergò &c.. Respondeo Negando illatum; Probationem alij distinguunt dicentes: non facere majus vel duo quantitativè C. entitativè N. sed nihil ad rem; Majoris falsitas patebit de Continuo; & certè in hoc casu utraque quantitas manet, licèt sine effectu secundario. Si dicas: duæ superficies naturaliter penetrantur. Respondeo: esse quidem simul se tangendo ùt duo contigua, at talis simultas non facit penetrationem, sicùt nec duo puncta in diversis locis proportionatis.

QUÆ.

QUÆSTIO III.

An unum corpus possit simul esse in duobus locis?

DIco: etiam divinitùs fieri posse, quòd unum corpus possit esse circumscriptivè in duobus locis. Ita Sco. in 4. d. 10. & 11. cum suis: contra Thomistas, qui cum omnibus Catholicis tamen admittunt unum corpus posse esse in uno loco circumsctiptivè, & simul in alijs locis definitivè, ùt patet de corpore Christi in cœlo circumscriptivè, & sub hostijs definitivè existente; est & contra Hæreticos utrumque negantes: supponit autem conclusio naturaliter idem corpus non posse in pluribus locis adæquatis, de quibus est quæstio. Nunc

Probatur Primò: Christus apparuit post ascensionem Paulo, S. Francisco, & alijs Sanctis viris, ùt piè creditur; Ergò fuit in duobus locis circumscriptivè, scilicet in cœlo & in terra.

Respondent: tali casu Christum cœlos deserere; sed hoc omninò improbabile videtur, & contra illud act. 3. *quem oportet cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium &c.* Et datô, quòd his explicatio adjungi valeat; pura divinatio fundamentum est hujus recessûs è cœlo. Confirma-

 tur

tur ab alijs de S. Antonio, Ambrosio &c. qui referuntur fuisse replicati; sed ad hæc subridendo vel dissimulando tacitè dicunt: se ea non credere; at ista est responsio occasionem dans cavillandi & alia exempla; de his alibi.

Probatur Secundò: idem corpus potest esse in uno loco circumscriptivè & in alijs locis simul definitivè, ùt patet de Christo; Ergò & idem corpus circumscriptivè replicari poterit. Probatur Consequentia: primus casus continet duo miracula; alter unum; Ergò si primus est possibilis, erit & alter: declaratur Antecedens; quando corpus Christi replicatur, miraculosè, simul est in duobus locis, & miraculosè est indivisibiliter ac definitivè sub hostijs; imò priùs est esse in duobus locis, quàm sic vel sic; ex quo patet replicationem quoad rem esse Deo possibilem; Ergò etiam quoad utrumque modum, nisi specialis repugnantia afferatur.

Respondent massam rerum, quæ significat hoc unicum, Deum posse quidem corpus replicare, & etiam definitivè, & implicare contradictionem in modo circumscriptivo, sed hoc videbitur in objectionibus. Porrò observandum est: quòd Christus etiam in Eucharistia habeat quantitatem, licèt effectus secundarij sint impediti, v.g. extensio localis &c. Obij-

Obijcies I. implicat mutari eſſentiam loci circumſcriptivi ; ſed hæc tali caſu mutaretur ; Ergò &c. Probatur Minor: de ratione loci circumſcriptivi eſt comprehendere locatum , & eſſe ei adæquatum ; ſed hoc mutaretur ; Ergò &c. Reſpondeo Negando Minorem : probationem diſtinguo ; ſi per *comprehendere locatum* velint, quòd totum locatum ſit intra terminos loci, id eſt, totum in toto, & pars in parte ac hôc modô eſſe ei adæquatum. C. ſi verò velint, eſſe ita hìc ùt nec divinitùs alibi N. & retorqueo, quòd nec definitivè alibi eſſe poſſet, quæ retorſio frequens erit.

Inſtabis: comprehenditur locatum ſic à loco circumſcriptivo , ùt nec divinitùs eſſe alibi poſſit ; quia corpus continetur in eo vèlùt termino. Reſpondeo eſſe terminum reſpectu potentiæ naturalis. C. obedientialis N. ſic explica Ariſtotelem 4. phyſ. 5. metaph. &c.

Obijcies II. de eſſentia quantitatis eſt reddere corpus aptùm ad extenſionem ; Ergò ſi naturaliter non eſt aptum ad duplicem extenſionem , nec ſupernaturaliter huic eſſentiæ aliquid addi poteſt. Reſpondeo tranſeundo Antecedens , Diſtinguendo Conſequens ; Ergò ſi naturaliter non ſit aptum , nec aptitudine reſpiciente potentiam naturalem , nec aptitudine reſpiciente

te potentiam ſupernaturalem. C. ſolâ aptitudine reſpiciente potentiam ſupernaturalem. N. & dico: naturam in actu primo eſſe, quòd poſſit extendi juxtà activitatem locantis, id eſt agentis, à quo ponitur hôc vel illô, aut hôc & illô locô.

Inſtabis: non eſt aptum aptitudine reſpiciente potentiam & naturalem, & ſupernaturalem ad extenſionem in locis infinitis, ſi darentur; Ergò nec ad extenſionem duplicem, cùm ſit eadem ratio de duobus, tribus ac infinitis. Reſpondeo Negando Antecedens; præterquam quòd & retorqueri poſſit. Si dicas tale corpus fore immenſum. Reſpondeo: dependenter à Deo tranſeat; independenti immenſitate, quæ eſt attributum Dei. N. aſſumptum.

Inſtabis: creatura nequit dici dependenter vel contingenter omnipotens; Ergò nec ubique locata. Reſpondeo Negando paritatem; quia primùm faceret hominem v. g. virtute activâ ſummè perfectum; at iſta locatio eſt creaturæ ſe paſſivè habentis.

Objicies III. tale corpus eſſet indiviſum ùt ſupponitur, & diviſum, quia diſtans à ſeipſo; ſed hæc implicant; Ergò, &c. Reſpondeo ad ſequelam: eſſet diviſum & indiviſum entitativè. N. indiviſum entitativè & diviſum quantitativè. C. non quaſi me-

dia

dia quantitas hic, & alia medietas alibi foret, sed quia eadem quantitas duas extensiones haberet.

Instabis: si quantitativè esset divisum, deberet etiam entitas dividi, vel saltem ipsa quantitas multiplicari, sed hoc dici non potest; Ergò, &c. Probatur sequela; non multiplicatâ formâ non multiplicatur effectus, neque primarius, neque secundarius; sed habere extensionem est effectus quantitatis saltem secundarius; Ergò, &c. Respondeo Negando sequelam; probationis Majorem de effectu primario. C. de secundario Subdistinguo: non multiplicatâ formâ nec entitativè, nec localiter. C. non multiplicatâ quoad entitatem, benè tamen quoad locum. N. Majorem; ad Minorem dico quantitatem imò & corpus multiplicari localiter: retorsio æquè hìc manet.

Instabis: non potest localiter dividi aut multiplicari, nisi & entitas, & quantitas multiplicetur: Ergò, &c. Probatur Antecedens: tale corpus ponatur Romæ, & Pragæ; sic plurimæ aliæ quantitates, & entitates intercedent; Ergò non erit eadem entitas, ac quantitas Romæ, & Pragæ. Respondeo Negando Antecedens: & probationis Consequentiam; quia non sufficit ad divisionem quantitatis quælibet interpositio aliarum; sed interpositio inter hanc

&

& aliam, non autem replicatam, aliàs nec idem Christus esset Romæ & Pragæ; imò & independenter à fide defenditur, suppositô quòd anima rationalis ratione detur, & spiritualis habeatur tota in toto & tota in omni parte.

Obijcies IV. ex hoc sequerentur plurima absurda, & paradoxa; unum hominem v. g. posse facere integrum exercitum, sibi ipsi obviare, choreas ducere, imò una gutta posset extendi donec mare faceret, arenula montem, &c. Respondeo: hæc omnia concedendo Divinæ potentiæ, neq; tamen potentia obedientialis erit in quolibet, cùm hìc ubique virtus inchoäta appareat; & licèt sensui videantur contraria, reverà tamen ratio præsertim juncta fidei hæc possibilia agnoscit; & si pro servitute ac alijs relationibus non forent extrema distincta entitativè, ac fortè formaliter, tamen localiter, & virtualiter.

Instabis: bos posset talem guttam in uno loco bibere, in alio non bibere, &c. Sed hæc sunt contradictoria; Ergò, &c. Respondeo Negando Minorem; *bibi* quidem & *non bibi* contradicunt, at *bibi hoc loco* & *non bibi* ista sunt compatibilia. Si quæras: an tale corpus replicatum haberet easdem formas? dico absolutas & independentes à loco, non autem ad locum relativas.

In-

Instabis: ponatur unus homo Romæ & Pragæ; hìc peccet, ibi benè vivat; poterit suspendi ibi, & hìc non, imò si utroque loco moreretur posset venire ad cœlum, & ad infernum, sicque beatus & infœlix esset. Respondeo hæc omnia vera esse: nunquid in uno loco Christus dignè sumitur, in alio indignè eodem tempore; mors est malis, vita bonis; & cætera retorsione factâ fient facilia; deinde Deus non operabitur, nisi juxta sapientiam altissimam. hæc ex 3. 4. & 5. libris physicorum.

DISPUTATIO II.

De Infinito, Continuo, & Duratione.

Superest ex octo libris physicorum agere de Infinito &c. Quæ materiæ licèt ordine sint postremæ, difficultate tamen sunt facilè principes, sed & ex labyrintho amœnitas hauritur, & admirandi campus sumitur.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sint Infinitum, Continuum, & Duratio?

Dico: Infinitum dicitur esse id, *cujus semper est aliquid accipere extra*: Continuum verò, *cujus partes ad aliquem terminum communem copulantur*: Duratio tandem

non est aliud, *quam existentia rei durantis connotans respectum aliquem ad durationem extrinsecam.* Hæc quoque sunt communia, licèt durationem variè explicent, unde nec istis probandis multùm immorabor.

Declaratur definitio Infiniti; quam etsi Sco. soli Syncategorematico adscribere videatur, tamen & alteri adaptari potest; porrò significat infinitum esse entitatem talem, quæ habet tot partes, ut si quamcunque demas, semper & semper alia demenda restet: & hujusmodi entitas vel infinitum duplex est, *Categorematicum, vel infinitum in actu; Syncategorematicum, vel infinitum in potentia*, primum est talis entitas actu illas partes possidens, v.g. si actu esset numerus hominum infinitorum; alterum est talis entitas, quæ quidem actu non habet tot partes, sed in potentia v.g. possibilis est numerus infinitorum dierum, quâcunque enim die præteritâ, semper & semper, alia & alia dies est possibilis; & tale infinitum Syncategorematicum dari, facilè conveniunt omnes, de priori quæremus signatè: interim utrumque subdividendum est *in infinitum in multitudine vel numero*; & *in infinitum in extensione vel magnitudine*; ac tandem *in infinitum in intensione*: per primum intellige ens tot numeris constans, ut si demas, quot ullus intellectus ca-

pere

pere poteſt, ſemper & ſemper alius numerus accipiendus reſtet; ſi actu illis numeris conſtet, erit Categorematicum in numero; ſi verò potentiâ, Syncategorematicum. Per ſecundum intellige ens tot partes quantas v.g. longitudines habens, ut ſi demas, quot, &c. Per tertium intellige ens tot gradus qualitatis habens, ut ſi demas, quot, &c. Nec dicas infinitum ab intellectu finito definiri non poſſe; id duntaxat quoad modum, non quoad rem verum eſt.

Examinatur Deſcriptio Continui, quod dicitur eſſe *quantitas, cujus partes ad aliquem terminum communem copulantur*, id eſt quantitas ejuſdem rei numericæ, unde ſi compoſitum phyſicum ſit proximum alteri ſpecie vel numerò diſtincto, eidem dicitur eſſe contiguum, quia non eſt terminus communis, id eſt numericus ea ultrò copulans, v. g. prima & ultima pars menſæ eſt continua mediantibus, quia omnes iſtæ quantitates partiales, unam totius menſæ integrant, menſa verò aëri tantùm eſt contigua. An verò duo lateres mediante calce ſint continui, vel contigui; dic poſſe continuos dici, quia calx & lateres ſunt unum in ratione partis integrantis parietem. Nec dicas tali modô, & ferra & la-

teres fore continua. Negatur paritas, habent enim majorem connexionem priorà, præsertim considerandò sensibilia terrea ex quibus fiunt. Continuum aliud est *permanens*, cujus partes simul existentes copulantur ad aliquem terminum communem, v. g. longitudo mensæ; aliud *successivum*, cujus partes sibi succedentes sic non copulantur v. g. hora constans momentis non simul existentibus; Cæterùm de longitudine, latitudine, profunditate, superficie,corpore, &c. plura ubi de prædicamento quantitatis.

Explicatur, & Probatur Definitio durationis intrinsecæ, v.g. duratio mensæ; dico: quòd aliud non sit, quàm ipsa existentia mensæ cum respectu ad tempus extrinsecum, id est, motum sphæræ Solis vel Lunæ, non naturalem, sed istum quo rapitur Sol vel Luna à Primo Mobili; & si Sol vel Luna ampliùs non essent, res existens adhuc connotaret respectum rationis ad tempus extrinsecum imaginarium: quòd autem duratio sic optimè explicetur, patet ex eo, quòd nec sit negotio desitionis; aliàs esset negatio negationis, quæ est positio affirmationis; nec mensura, quia hæc dicit ordinem ad intellectùm actu vel potentiâ certificans eum de re ignota, duratio verò rei est independens ab omni ope

intel-

intellectûs; nec aliud ſuperadditum v. g. modus &c. Ergò, &c. Confirmatur: quia loquor de duratione rei intrinſeca. Dividitur autem Duratio in tres claſſes, Æternitatem, Ævum, & Tempus. Æternitas eſt *exiſtentia rei permanentis indefectibilis, connotans reſpectum ad tempus extrinſecum reale, & imaginarium*: & hac duratione per ſe ſolus Deus exiſtit, hinc eſt illud Boëtij, *æternitas eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Ævum eſt *exiſtentia rei permanentis defectibilis connotans, &c.* Et duratione ævi perſiſtunt, angeli, animæ, & omnia materialia permanentia. Tempus demùm eſt *exiſtentia rei ſucceſſivæ defectibilis, dicens ordinem ad tempus extrinſecum*, quod & menſura dici poteſt; & hac duratione exiſtunt ſucceſſiva v. g. curſus, ambulatio, &c. circa duo prima paſſim conveniunt, ſi quid eſt contra durationem, ſic

Obijcies: Duratio pertinet ad aliud prædicamentum, quàm res durans; Ergò nequit eſſe ipſa exiſtentia rei. Reſpondeo Antecedens eſſe verum de extrinſeca, non de intrinſeca; ſic etiam dic eſſe menſuram.

Inſtabis: Duratio intrinſeca poteſt ſeparari à re durante; Ergò & ipſa ad aliud prædicamentum pertinet. Antecedens declaratur: res exiſtens hodie amiſit exiſtentiam heſternam, &c. Reſpondeo Negando

gando Antecedens: vel illud cum probatione & similia plura solvo hac distinctione: durationem intrinsecam distingui à re durante, secundùm id quod connotativè, & in obliquo importat. C. formaliter & in recto N.

Instabis: corpus formaliter distinguitur ab eo, quo est in loco; Ergò & res durans ab eo, quo dicitur durare; Respondeo Negando paritatem; quia ad diversitatem loci sufficit mobilitas rei, at non ad diversitatem durationis intrinsecæ. Pro alio argumento sciendum est: æternitatem esse quidem attributum Dei, proùt à nobis explicatur; realiter tamen est idem cum existentia, imò & formaliter penes id quod in recto importat.

Quæres: per quid res dicatur incipere, & desinere? Respondeo; duplicem esse modum incipiendi rerum, & desinendi: primus modus incipiendi explicatur *per primum esse rei*, id est, *jam res est, immediatè ante non erat*: secundus modus incipiendi explicatur per *ultimum non esse rei*, id est, *jam res non est, immediatè post erit*. Sic etiam primus modus desinendi dicitur *esse ultimum rei*, id est, *jam res ultimò est, immediatè post non erit*: alter modus desinendi dicitur *primum non esse rei*, idest, *jam res non est, immediatè ante erat*.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An sit possibilè infinitum Categorematicum?

DIco: quanquam de facto nullum infinitum categorematicum præsertim positivum ac absolutum detur, imò nec dari possit per Divinam Omnipotentiam in hac, vel illa serie rerum, possibilia tamen sunt infinita indivisibilia categorematicè. Conclusio sic proposita à nemine hactenus est visa; continet autem tres partes, quarum prima est: quòd de facto nullum detur categorematicum, & in hoc omnes conjurant: additur tamen *præsertim positivum, ac absolutum*, ob difficultatem in quadam objectione solvendam. Secunda pars conclusionis est: quòd nec sit possibile infinitum categorematicum in certa serie, v. g. infinita substantia, quantitas, qualitas &c. & hæc quoque frequentior est, contra nonnullos facientes quæstionem de nomine, quos proinde Nominales vocant, defendunt enim infinitum dari, & ad rem deveniendo id ipsum limitant. Tertia tandem pars meô judiciô videtur tolerabilis; & dicere volo: quòd Deus possit indivisibilia omnia spiritualia & sensibilia producere simul & semel numerô infini-

 ta,

ta, in quibus omnia omninò quæ ſunt, fuerunt, & eſſe poſſunt comprehenduntur.

. Probatur quoad primam & ſecundam partem: ſi eſſet, vel dari poſſet infinitum Categorematicum in certa ſerie, foret v. g. infinita multitudo; ſed hæc eſt impoſſibilis; Ergò &c. Probatur Minor. infinita multitudo, v. g. hominum vel litterarum eſſet infinita, ùt ſupponitur, & finita ùt probatur; quia eſſent plures pedes quàm homines, & in litteris eſſent plura puncta; Ergò talis multitudo implicat.

Reſpondent Negando ſuppoſitum: quòd detur majus, vel plus infinitô, & has comparationes omitti debere. Contra: hoc verum eſt, ſed hinc colligo ipſum impoſſibile eſſe; quia revera quilibet homo haberet partes, capillos &c. Ergò eſſent plura ipſô, & non eſſent.

Reſpondent: eſſe plura materialiter. C. formaliter N. & dicunt, tali caſu fore infinitos capillos, infinitos pedes, venas, & unum infinitum eſſe majus materialiter in ſua ſerie, at non formaliter. Contra: hæc ſunt mera verba, formaliter erunt plura; quod ſic Probo: homo habet & materialiter, & formaliſſimè plures digitos, capillos &c. quàm manus: Ergò illi infiniti homines formaliter haberent plures partes.

Con-

Confirmatur: quacunque multitudine positâ (nisi sit indivisibilium) sunt plura constituentia; item si esset infinita quantitas, plura erunt puncta. Nec dicas: licèt non sit infinitum in multitudine possibile, tamen in extensione vel intensione. Contra: si esset talis quantitas deberet omnium corporum, quæ sunt, fuerunt, & possunt esse, una longitudo, latitudo, & profunditas fieri; sed hoc non videtur posse fieri, ut hæc omnia constituant unũ corpus mathematicum; Ergò &c. Major patet: aliàs illi quid addi posset. Minor Probatur: tum quia hæc quantitas unum subjectum non haberet, & si conservaretur sinè subjecto locum non haberet; & si dicas: fore in spatio imaginario sicut ultima mundi superficies; ipsa non esset una, nisi unitate contiguitatis, & sic plures quantitates resultarent; quia continentur quantitates omnium corporum possibilium: de qualitate verò etsi daretur caloris gradus, v. g. adeò intensi, ut nec Deus ultrò intendere posset, neque tamen esset infinitum in ratione qualitatis, nec in ratione caloris, aliàs & comprehendi deberent omnes qualitates, & calores possibiles, quæ unquam in ullo subjecto fuerunt.

Respondere possent: talem qualitatem fore omnibus his æquivalentem, & infini-

ties ea excedentem ; Contra: talis qualitas, v. g. calor deberet habere proportionatam activitatem, resistentiam, subjectum, passum &c. sed hæc esse nequeunt, nisi omnia omninò possibilia existerent, ùt in probatione tertiæ partis dicam : Ergò &c.

Probatur adhuc ab alijs: quia esset Deo æquale ; quia Dei virtus exhauriretur ; quia omnis creatura debet habere terminum &c. sed hæc inefficacia esse, infrà patebit.

Probo tertiam partem : Deus cognoscit infinita ; Ergò illa producere potest. Probatur Consequentia : Deus est tantæ activitatis & potentiæ, quantæ scientiæ ; Ergò &c. Retorquere possent statim : Deus cognoscit infinitos homines : Ergò & illos producere posset ; sed Nego Antecedens; quia licèt cognoscat tot homines, quod noster modus imperfectus concipiendi designat per semper, & semper plures, & plures possibiles, hos tamen numerô pauciores, quàm v. g. pedes, ipsa veritas omninò agnoscit, unde etiam est falsum quòd alij communiter supponunt in omni serie esse infinitum syncategorematicum possibile.

Respondent alij : Deum cognoscere infinita possibilia collectivè N. divisivè. C. sed

ſed Contra : non addo poſſibilia ; ſed arguo ſic: Deus unicô actu formaliter ſimul & ſemel novit omnia indiviſibilia eſſe infinita ; ſed eadem producere poteſt ; Ergò &c.

Reſpondent Diſtinguendo Minorem : ſucceſſivè, & diviſivè. C. ſimul & ſemel N. idem alijs verbis ſic affertur : potentiam eſſe tantam, quantam ſcientiam ex parte Dei. C. ex parte rerum N. quia docent infinitum implicare in creaturis ex parte limitati entis. Contra : non repugnat, quòd omnia indiviſibilia realia, & formalia, ſpiritualia, & materialia, & ſenſibilia fuiſſent ab æterno facta, per æternitatem conſervata, imò non tantùm permanentia, ſed & ſucceſſiva coexiſtere potuiſſent infinito tempori extrinſeco imaginario ; Ergò ſimul & ſemel fuiſſent infinita indiviſibilia.

Confirmatur : nulla ſequitur contradictio ex infinitis indiviſibilibus ; imò ſi quis cum Ariſtotele docuiſſet Mundum fuiſſe ab æterno ; alium non eſſe poſſibilem, ùt quidam tradunt ; ac tandem perpetim manſurum ; talis actu infinitatem indiviſibilium omnia conſtituentium poneret ; ex parte Dei enim non repugnat utpote Omnipotentis, nec ex parte entium, quia his nihil addi poſſet, cum forent omnia,

quæ modò ſunt, fuerunt, & eſſe poſſent per ullam potentiam.

Obijcies I. contra primam partem: datur infinitum ſyncategorematicum; Ergò etiam categorematicum. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: in omni ſerie rerum N. Antecedens, vel ſecundùm noſtrum imperfectum concipiendi modum tranſeat, in aliquo genere v. g. indiviſibilium. C. ſed Nego Conſequentiam.

Inſtabis: reverà plures, & plures dies ſunt poſſibiles ſinè fine: Ergò ſyncategorematicè infiniti. Reſpondeo Negando Conſequentiam; quia eſtò tot dies ſint poſſibiles, plures tamen horæ, conſequenter ſolùm dies infinitos arguit imperfectus ac erroneus conceptus.

Inſtabis: ſaltem aliquod infinitum ſyncategorematicum datur; Ergò & categorematicum. Probatur ſequela; de facto dantur omnium iſtorum indiviſibilium privationes; Ergò cùm illa ſint infinita poſſibilia, erunt actu infinitæ privationes: ſic alij inferunt in materia habente unam formam eſſe privationes infinitas. Reſpondetur Primò, inferri tantùm infinitũ categorematicum privativum, vel reſpectivum. Secundò Negando ſequelam; Probatio Diſtinguitur; dantur privationes activæ. C. paſſivæ N. hoc eſt, forma men-

mensæ, v. g. se ipsâ est negatio aliarum formarum absentium. Tertiò aliqui dicunt negationes illas nihil esse, sed fortè nulla harum responsionum sufficit, minùs ibi esse tantùm infinitas syncategorematicè; in sententia docente indivisibilia de facto patet aliqua dari, nec proindè esse negationes omnium, & si nulla forent indivisibilia, nec ullæ negationes extra subjecta; elige quod placet.

Obijcies II. contra alteram partem: omne ens reale, est possibile, sed infinitum in omni serie est reale; Ergò &c. Probatur Minor. infinitum ùt sic est reale; Ergò & in quacunque serie. Antecedens patet ex definitione objectiva. Respondeo Negando Minorem. Probationis Antecedens Distinguo: est reale, id est habet conceptum objectivum sui idealiter existentem. C. physicè N. Antecedens & Consequentiam, quia hic definitur ùt ostendatur ipsum non dari.

Instabis: peccatum est infinitæ malitiæ, unio Hypostatica, gratia Christi sunt infinita; Ergò quasi in omni genere datur infinitum. Respondeo Distinguendo Antecedens, & dico: hæc esse infinita moraliter, & quidem extrinsecè. C. physicè ac entitativè. N. de posteriori loquimur.

Instabis: existunt entia physicè finita; Ergò

Ergò ad minus physicè infinita erunt possibilia; nam positô unô oppositorum, & aliud poni potest; sic etiam aliqui inferunt: datur infinitum privativum: Ergò & positivum.

Respondeo Negando Consequentiam; axioma valet de his, quæ specialem non involvunt repugnantiam; & de oppositis privativè, si enim est forma, poterat esse privatio illius; at infinitum est terminus negans omnia limitata; cætera ad summum Syncategorematicum inferunt.

Obijcies III. contra infinita indivisibilia: hæc essent infinita ùt supponitur, & non essent ùt probatur; quia essent plura latera, & respectus continuationis, cùm quodlibet habeat duo latera. Respondeo Negando secundam partem; ad Probationem Nego suppositum: quòd de solis indivisibilibus continui loquar; quia & indivisibiles angelos & animas iucludo, non tantùm existentes, sed & possibiles; deinde vel illa latera & respectus putant esse entitates physicas distinctas: & hoc falsum est; si verò formales, adhuc & ipsa sunt indivisibilia.

Instabis: tali modo potentia Dei exhausta foret, & sequeretur Deum non posse aliquando plura producere. Respondeo Negando utramque sequelam; cùm enim

in

in Deo sit idem produxisse & producere, nihil horum sequeretur; imò retorqueo: quòd nec ad intra respectu Filij potentia Patris sit exhausta, nec valet, aliquando non posse producere Filium.

Instabis: saltem ex parte creaturæ repugnat productio infiniti; cùm esset Deo æquale hoc ens creatum, & independens, æternum, &c. Respondeo Negando assumptum, cum sequelis; quia adhuc Deo posterius esset saltem naturâ; item æternum dependenter à Deo & non ex se; plurima alia adducuntur, quæ benè probant, non posse dari aliquod infinitum in determinata classe, at omnes creaturas possibiles simul & semel esse non repugnat. Si dicas, quomodo indivisibilia successiva simul erunt? Respondeo: sicùt modò per totam æternitatem imaginaria; nam per *simul & semel* non intelligo unô instanti, sed æternè & à parte ante, & à parte post, sicut de Mundo ab æterno posito dicebam.

QUÆSTIO III.

An Continuum componatur ex solis indivisibilibus?

DIco: Continuum componitur ex Solis indivisibilibus. Ita cum Zenonistis contra modernos philosophos positivè sentio; tum quia ex solis partibus componi multò

est difficilius; tum quia ex partibus partim, & partim ex indivisibilibus est duplò intricatius.

Sensus Quæstionis est: an continuum v.g. linea aliqua vel latitudo componatur ex partibus talibus, quæ semper & semper dividi possunt sinè fine; an verò tandem deveniatur ad puncta, id est entitates indivisibiles; primum alij, secundum ego tuebor; tertiô locô sunt illi, qui docent componi ex partibus, & intra qualcunque partes esse punctula continuantia, & versus extremitates terminativa; sed contra hos & illos.

Probatur primò; continuum aliud est permanens, aliud successivum, sed nec hoc, nec illud componitur ex partibus (sivè solis sivè punctis additis) Ergò, &c. Probatur Minor; primò non permanens v. g. lignum palmare; Ergò, &c. Probatur; si tale lignum componeretur ex partibus, foret tam magnum, quàm lignum tripalmare, imò quàm altissima arbor, mons, imò tantum, ac totus Orbis, sed hoc est paradoxum: Ergò, &c. Probatur sequela: haberet enim æquales partes; Ergò esset æquè magnum. Probatur Antecedens; haberet partes in infinitum sinè fine verè sinè imperfecto concipiendi modo divisibiles, sed plures non habet Orbis: Ergò, &c.

Respondent ad ſequelam Diſtinguendo Probationem; haberet partes indeterminatas, ac proportionales æquales. C. determinatas,& aliquotas. N. quaſi dicerent: lignum palmare non habere actu tot partes, ſicut arbor; ſed æquè multoties ipſum poſſe dividi ac arborem, imò alam muſcæ ac totum mundum. Contra: lignum palmare haberet actu tot partes determinatas, ac arbor altiſſima; Ergò, &c. Probatur Antecedens: non poteſt corpus dividi in partes eſſentiales, niſi actu ex ijs componatur, nec in partes integrales, niſi & ipſas actu poſſideat: Ergò nec in tot partes, niſi actu tot partibus conſtet. Confirmatur: non poteſt aliquis duos pedes dividere à corpore, niſi illud corpus actu habeat illos, nec aliquis ex panno poteſt habere ſex ulnas, niſi iſte pannus actu ſit ſex ulnarum; Ergò nec continuum poteſt dividi in infinitas partes, niſi ijs actu conſtet, ac proinde æquales toti orbi habeat.

Reſpondent, & recalcitrant dicendo idem per idem: in Orbe & arbore eſſe plures partes in infinitum diviſibiles, quàm in ligno palmari. Contra ſic in forma arguo; vel lignum illud poteſt dividi toties, quoties arbor & omnes ejus partes, imo & quoties partes hujus mundi & mundorum poſſibilium, vel non; ſi ſecundum: tandem ad

ad indivisibilia devenietur ; si primum : Ergò palmare habebit æquales partes.

Respondent illi adhuc idem : habere æquales indeterminatas. C. determinatas N. Contra confirmo priora ; lignum sex ulnarum, & pannus sex ulnarum sunt determinatè æqualia, quia habent ulnas æqualiter mensurantes ; Ergò arbor & lignum palmare erunt determinatè æqualia, quia habent partes infinitas ipsa constituentes. Si rursus dicant, in priori exemplo esse actuales, hìc potentiales ; replico : divisionem supponere partes actu existentes, cùm ipsa nec det *esse*, nec tollat *esse* partium, sed est illud, quo una pars separatur ab alia ; nunquam enim pars quà talis dividitur, sed totum.

Confirmatur adhuc ; angelus incipiat dividere hanc litteram I. Deus verò arborem, ambo dividant per mille annos, quis diceret hoc punctum . Mathematicum jam toties divisum, imò & millesimam particulam toties adhuc dividi posse, quoties mons & montes, Orbis, & Orbes.

Respondent : hæc sensibus mirabilia videri, sicut & unum corpus posse esse in millenis locis ; at non rationi. Contra : corpus miraculosè locatur, at hoc naturale est tali litteræ, quòd licet non à creatura fortè, tamen à Deo sinè fine dividi

posset ;

possit; imò ex hoc sequitur omne continuum esse infinities infinitum.

Respondent Moderni: si solis partibus constaret. C. si verò & punctulis continuantibus & terminativis. N. Contra: hi primò utriusque opinionis inextricabiles difficultates subeunt; deinde manet partes illas verè sic semper dividi posse. Declaratur adhuc: illi Authores dicendo lignum palmare habere partes æquales indeterminatas cum arbore, & non determinatas, hoc ratione contendunt infringere, quod sensibus negare non possunt, scilicet volunt æqualiter constitui in ratione continui, cùm videant unum esse majus alterô.

Confirmatur adhuc; vel Deus cognoscit distinctè omnes continui partes, vel non; si primum: vel finitas vel infinitas noscit; si secundum, erit in Deo imperfectio.

Respondent cognoscere illas distinctè, sed non distinctas. Contra: erunt realiter distinctæ, & actu ibi, imò etiamsi solâ potentiâ, quod tamen neutiquam permitto, Deus omnes & singulas discerneret, utì arenulas & guttas maris, nec sanè ibi massam infinitam infinitorum invenit.

Probatur secundò; detur corpus perfectè sphæricum, & rotetur, per planum,
P sem-

ſemper in puncto tanget planum,& tamen ipſum per ſingulas partes rotari poteſt; Ergò ex puris indiviſibilibus conſtat.

Reſponſiones varias ad hoc reijcit Maſtrius, ſubridendo mirans, quòd tot hôc globô territi fuerint, ipſe autem dicit: quòd ſphæricum quieſcens tangat in puncto, in motu verò tangat lineam; ſed ridicula eſt reſponſio: ſic tangit in motu ſicùt quieſcens; Ergò, &c. Probatur Antecedens: quocunque inſtanti movetur, & quieſcere poteſt; Ergò ſic tangit, ac ſi quieſceret; Averſa & Lalemandet putant, globum non tangere formaliter planum, ſed mediante aëre; at hoc evinceret nullum contiguum aliud immediatè tangere.

Probari ſolet tertiò; niſi componatur continuum ex indiviſibilibus, non dabitur motus localis, hoc eſt abſurdum; Ergò. Probatur ſequela: nemo corporeus tranſit à loco A ad locum C, niſi pertranſeat locum B, & incipiat à loco A; ſed hic ordo tollitur; Ergò & motus. Minor declaratur: prima pars ſpatij non eſt aſſignabilis, cùm minima particula ſit infinities diviſibilis; Ergò pertranſiri nequit, nemo enim locum non aſſignabilem pertranſijt.

Reſpondent: propter hoc non componi ex ſolis partibus, ſed indiviſibilibus quoque terminantibus. Contra: eſtò ſe movens

vens pertranſeat illud indiviſibile terminans, quomodo partem primam pertranſiet, quæ naturaliter non eſt deſignata? Nec dicas, falſò ſupponi illas partes actu eſſe ibidem; hoc enim ſuprà oſtenſum puto, & ſanè vel actu ex indiviſibilibus componitur, vel talibus particulis, quæ actu alias & alias plures in infinitum continent.

Reſpondent: componi ex talibus quæ quidem inſtrumentô creatô ſemper dividi non poſſunt, ſed ſupernaturaliter in infinitum; at eò nec devenit Ariſtoteles, nec tantam difficultatem patiuntur argumenta contra Zenoniſtas; unde cùm quilibet fateatur, utrinque eſſe difficultatem, tribus probationibus totidem objectiones opponam.

Objicies I. continuum eſt v. g. lignum tripalmare, ſed hoc non componitur ex ſolis indiviſibilibus; Ergò nec aliud. Probatur Minor: tale lignum eſt majus palmari; Ergò &c. Probatur Conſequentia: indiviſibile additum indiviſibili non facit majus; Ergò ſi componeretur ex ſolis indiviſibilibus non eſſet majus, imò nec ulla longitudo daretur. Probatur Antecedens; illa non faciunt majus, quæ ſe penetrant, ſed unum indiviſibile alteri additum ſe penetrant; Ergò &c. Probatur Minor: illa ſe penetrant, quæ ſe tangunt ſecundùm to-

totum; atqui sic se tangerent talia indivisibilia, cùm non habeant partes; Ergò &c.

Respondeo Distinguendo ultimam Majorem: illa se penetrant, quæ se tangunt secundùm totum, si latera non habeant. C. si secùs N. Majorem; sic Distinctâ Minore. Nego Consequentiam; & retorqueo: duæ superficies se tangunt immediatè & tamen se non penetrant, quia habent latera, qualia & indivisibilibus concedo.

Instabis: etiamsi indivisibilia dicantur habere latera, tamen non faciunt extensum, vel majus, quotquot ponantur; Ergò &c. Probatur Antecedens; talia duo puncta juxtà se posita, vel tangunt se immediatè, vel non; si primum, penetrabunt se; si secundum, neque continuum facient. Respondeo Negando Antecedens; ad probationem dico, quòd se tangant immediatè penes latera, sicùt jam de superficiebus dixi.

Instabis: tales duæ superficies non faciunt continuum, sed contiguum duntaxat; Ergò puncta etiamsi se penes latera tangerent, non facerent continuum majus. Respondeo Distinguendo Consequens: si puncta se haberent adæquatè ùt superficies. C. si verò inadæquatè tantùm N. in hoc quidem de lateribus conveniunt;

sed

ſed differunt, quòd puncta copulentur terminô communi, non ſuperficies corporũ diverſorum.

Inſtabis: vel illa latera ſunt quid diſtinctum à punctis, vel non; ſi ſecundum, adhuc ſe penetrabunt; ſi primum, non erunt indiviſibilia. Reſpondeo retorquendo de ſuperficiebus, & dico: diſtingui modaliter, & velùt latera; non verò ùt alia puncta, à ſe invicem, & poſitis hinc inde punctis cum lateribus in communi termino ſtatim relatio continuationis exurgit.

Obijcies II. ſi continuum componeretur ex ſolis punctis, homo claudus tam citò ambularet, quàm avis volat; ſed hoc non poteſt dici; Ergò &c. Probatur ſequela Majoris: ponamus, quòd ſimul incipiant & claudus ire, & avis volare, perficient æquale ſpatium eodem tempore, ſcilicet ſi continuum ex ſolis punctis conſtaret; Ergò &c. Probatur Antecedens: primô indiviſibili temporis perficiet avis unum indiviſibile loci, & etiam claudus, quia minus nèc ille poteſt perficere, quàm unicum indiviſibile; ſecundô inſtanti indiviſibili temporis, avis rurſus perficiet ſecundum indiviſibile loci, item & claudus; ſic de tertio, quarto &c. Ergò æquale ſpatium, æquali tempore, quæ ſibi correſpondent, perficient. Alijs reſponſionibus verè inſuffi-

ſufficientibus omiſſis. Reſpondeo Negando ſequelam Majoris; ad Probationem Concedo, quòd & avis, & claudus primô punctô temporis conficient punctum loci; tranſeat etiam, quòd ſecundô, imò & tertiô; at Nego ſuppoſitum: quòd deinceps claudus ſe ſemper moveat ſicùt avis, unde cùm claudus ſæpiſſimè, id eſt multis punctulis temporis reſpiret, avis plura puncta loci conficit eôdem tempore.

Inſtabis: ponamus quòd ſe ſemper moveant ſimul, & claudus non reſpiret, tunc ſi continuum componatur ex ſolis punctis, æquale ſpatium æquali tempore perficient.

Reſpondeo Negando ſunppoſitum Antecedentis: quòd hoc ſit poſſibile, licèt enim putemus, quòd tardum v. g. claudus ſe ſemper moveat, interveniunt tamen morulæ ſenſu inperceptibiles, quibus reſpirat, ùt quoque RR. plurimi alibi concedunt; imò hoc experientiâ conſtat quòd minus velox ſæpius velociori reſpiret inter currendum vel motum localem, nam veloci datur velocius.

Obijcies III. vel omnia continua haberent æqualia puncta, vel inæqualia; ſi primum, nullum eſſet majus alterô; ſi ſecundum, poſſent numerari. Reſpondeo: quòd habeant inæqualia; & licèt ſingula non poſſimus numerare propter defectum ſub-

tilis

tilis instrumenti, tamen scio plura esse in tripalmari, quàm palmari. Et si dicas: quomodo habens novem indivisibilia possit æqualiter dividi cum Lalemandet? Dico: sicut numerus impar nunquam in duas partes æquales potest distribui, ità nec hic, sed secernerentur quinque, v.g. indivisibilia, à quatuor alijs, tollendo continuationis nexum.

Instabis: tale continuum omninò non posset dividi, quia constaret meris indivisibilibus. Respondeo Negando assumptum; ac probationis suppositum: quòd indivisibilia vel partes deberent divìdi, sed totum dicitur dividi, & hoc non est aliud, quàm partes vel indivisibilia ab invicem separari; imò dum pars divisa iterum dividitur, non habet rationem partis sed totius, adeoque dividi partibus impropriè adhibetur. Si dicas, partes non haberet; dico indivisibiles N. divisibiles. C. non rursum quasi partes quà tales dividerentur, sed quæ rationem totius habere possint; potest etiam dici partes, id est plura indivisibilia juncta constituere continuum mediatè, ac velùt principia secunda, at prima sunt indivisibilia.

Instabis: quomodo poterit dividi, si nihil in se habeat divisibile, sed mera puncta? Respondeo ùt suprà: tollendo unio-

nem inter puncta, non enim divisio cadit super terminum, cùm sit sola terminorum unitorum disunio, quæ unio est respectus extrinsecùs adveniens.

Si dicant: puncta illa esse non quanta. Respondeo æquivocari; si enim putent non constituere quantum N. si punctum velint non quantum dici. C. at nec terminus extra propositionem officiô suô fungitur.

Ex his colliges solutionem ejus, quod quæritur: an detur *minimum* & *maximum* scilicet & in viventibus & non viventibus? *minimum* esse indivisibile; *maximum* quantitas subjecto proportionata respectu potentiæ naturalis, & obedientialis, & sic à mari turbulento ad littus.

DISPUTATIO III.

De Mundo & Cœlo.

OBjectum principale Physicæ Mundus, vel pars ejusdem, v. g. Cœli possunt dici, qui sicùt alia entia physica ex sensibilibus indivisibilibus componuntur, donec merces laboris nostri in Empyreo erit singula clariùs perspicere.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid, & qualis sit Mundus, & quando factus?

DIco: mundus est compages omnium creaturarum in tempore facta, & in genere suo perfecta. Ita communiter Philosophi quoad singulas partes sic declarandas: *Primò* dicitur: quòd mundus sit *compages omnium creaturarum*, & in terra, & in cœlis existentium, dummodo contineantur in orbe rotundo, qualis ista compages esse asseritur; ex quo patet, Deum non esse mundi partem, sed Conditorem & Conservatorem ejus, angelos verò & quascunque alias creaturas ad eum pertinere; cùm de facto sit tantùm unicus mundus; porrò si extra hanc compagem rotundam Deus alias creaturas poneret, sicùt omninò potest, alius mundus resultaret; ex quo patet, hanc esse definitionem mundi genericam; si enim alius esset, & illi conveniret, estò ab hoc specie differt. Dicitur *secundò*: *in tempore facta*: ùt fides docet Gen. 1. & sequentibus, contra Aristotelem, & alios, qui docuerunt mundum esse ab æterno; an autem solâ ratione disputando evincatur mundum fuisse ab æterno, vel in tempore factum, edisseram aliquando fusiùs. Dicitur *tertiò*: quòd mundus iste

sit *in suo genere perfectus*; id est, illi quidem nihil decoris debiti deesse, posse tamen alium perfectiorem à Deo creari; tum quia Deus liberè fecit illum, nec moraliter nec physicè tenetur facere optimum; secundum ex communi Theologia patet; primum, cùm nemo sit æstimator, & appretiator sufficiens Dei judiciorum inscrutabilium; tum quia creaturas perfectiores extra orbem hunc condere posset, quæ enim contradictio? imò oppositum perfectioni ejus derogare videtur: ex his probationes elice.

Obijcies I. contra id, quòd mundus dicatur in tempore factus, fundamenta Procli, Averrois, Aristotelis &c. vel Deus potuit ab æterno condere mundum, vel non; si secundum, nec in tempore potuisset; cùm sit semper æquè potens; si primum, etiam fecit, quia in Deo idem est *posse* & *facere*. Respondeo: quòd potuerit, at non fecerit; & dico, in Deo idem esse *posse*, & *facere* in actu primo, non in actu secundo, aliàs plura fecisset.

Instabis: in Deo est idem velle, & facere in actu secundo, sed Deus voluit ab æterno mundum condere; Ergò & condidit. Respondeo Distinguendo Minorem: pro æterno N. pro tempore. C. Nec dicas, fuisset invidus, si non communi-

nicâſſet ſtatim ac potuiſſet bonum exiſtentiæ; abſit, quia Deus æquè liber ac bonus eſt ad extra.

Inſtabis: Deus eſt immutabilis; Ergò vel ab æterno condidit mundum, vel nunquam, aliàs fuiſſet factus à non producente producens. Reſpondetur ad ſequelam: formaliter ſe mutando N. terminativè ſe mutando. C. ſed an ſufficiat, in primo ſentent. negativè reſolvam.

Obijcies II. contra idem: ante mundum nec locus, nec tempus erat; Ergò non potuit produci in tempore, vel loco. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: non fuit locus & tempus reale. C. imaginarium. N. Et ſi petas, an locus imaginarius fuerit vacuum? Dico non fuiſſe vacuum poſitivum, ſed negativum, id eſt negationem continentiæ materialis; cæterùm & locus, & tempus cum mundo ſunt facta.

Inſtabis: ex hoc ſequeretur quòd tempus vel *aliquando* quæ idem ſonant, non fuiſſent aliquando. Reſpondeo Diſtinguendo ſequelam: quòd *aliquando* verum & reale non fuiſſet aliquando, id eſt aliquo tempore imaginariô. C. alio ſenſu. N. Si petas, quomodo motus fuiſſet in primo inſtanti mundi facti, cùm ſit ens ſucceſſivum? Dico quòd inchoätivè, per reliqua inſtantia complendus. Si verò dicant ex nihilo nihil

hil fit. Respondeo à creaturis. C. à Creatore. N. sed de his plura, ubi de creatione.

Obijcies III. probando quòd mundus sit imperfectus: nullum ens per accidens est in genere suo perfectum, sed mundus est tale; Ergò. Respondeo & Majorem & Minorem esse falsam, de Minori verò, estò mundus non sit unum per se velùt compositum ex corpore & anima, cum nullus detur spiritus mundi totum informans, est tamen unus unitate ordinis ac pulchræ subordinationis, quæ præcellit unitatem aggregationis & per accidens.

Instabis: licèt habeat aliquam unitatem per se, tamen non est perfectus. Probatur assumptum: in mundo sunt venena, tenebræ, peccata moralia, & naturalia, defectuosa & monstra, imò plurima desunt; Ergò, &c.

Respondeo Negando Antecedens; probationem utramque Distinguo: & hæc sunt in mundo per accidens, aut potiùs ùt contraria à contrarijs elucescant. C. quis enim æstimaret lucem, qui nihil de tenebris sciret? *per se*. N. deinde desunt quidem multa ad perfectionem simpliciter, non autem in suo genere, cùm habeat primum mobile, conservans, & media ad generandum reliqua necessaria.

Instabis: mundus iste subjacet corruptioni,

ptioni, at hoc eſt ſummum vitium: Ergò, &c. Reſpondeo: defendentes principia Ariſtotelica ſic premi; Ego verò tueor, quòd tantùm fiat continua ſenſibilium immutatio, & quòd tantùm annihilari poſſit ab eo, qui illum ex nihilo liberè fecit.

Obijcies IV. mundum eſſe ſimpliciter perfectum; tum ab authoritatibus, quæ dicunt opera Dei eſſe valde bona; tum quia hoc commendat magis Dei bonitatem, imò & rationem, eò enim quis cenſetur rationabilior, quò perfectiùs operatur, ùt facili inductione pateret.

Reſpondeo: & me dicere, quòd ſint valdè bona, ſed non optima, imò per hoc Dei Majeſtas potiſſimùm extollitur, quòd cùm talia fecerit, adhuc excellentiora facere poſſit, inſuper Deus in omni ſemper æquè rationabiliter agit; non enim patitur menſuram ſuperlativum abſolutiſſimum. quòd ſi dicant: *Patrem argui invidiæ, ſi Filium meliorem potuiſſet generare*, ex Aug. reſponde, loqui de his, quæ ad intra ſunt naturaliter facta, ad extra verò liberè omnia fiunt. Hic quæri ſolet: quo anni tempore ſit mundus factus? Reſpondeo: probabiliùs æquinoctiale tempus ſtatim cum mundo factum eſſe, quo tempore Priſci novum annum inceperunt.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Mundus potuisset fieri ab æterno?

Dico: Mundus potuisset fieri ab æterno, & quoad entia permanentia completè, & quoad successiva inchoativè. In hac materia Sco. est problematicus, & de permanentibus tenetur permiscuè in omni Schola, de successivis verò tametsi paucos fautores habeat, declarationi tamen faciendæ quamplures subscribent.

Probatur primò generaliter: Deus potuit velle mundum ab æterno esse; Ergò & potuit producere illum ab æterno.

Respondent: pro æterno. N. pro tempore. C. atContra: pro æterno potuit velle à parte ante, sicùt & liberè voluit ut duraret æternùm à parte post.

Respondent: ex parte Dei. C. ex parte creaturæ. N. docentes hoc passu implicantias sequi. Contra: ratio creaturæ non tollitur, etsi in æternum durabit; Ergò nec sublata fuisset casu, quo ab æterno producta fuisset; ex quo

Confirmatur: non est implicantia ex parte Dei, nec creaturæ, nec productionis, ùt ex solutione objectionum ultrò patebit.

Probatur secundò de permanentibus, quæ ratio tamen de successivis æquè conclu-

cludit; lignum est ens permanens, sed hoc ab æterno poterat à Deo fieri; Ergò, &c. Probatur Minor: ideò secundùm adversarios non posset fieri, quia non videtur quomodo esset æternum, & tamen a Deo dependens, factum, &c. Sed hæc ratio nulla est; Ergò, &c. Probatur Minor Aug. 6. de Trin. c. 1. ait *si ignis esset æternus, splendor esset coæternus*, & tamen splendor dependeret ab igne, esset effectus ignis, &c. Ergò hæc ratio nulla est.

Respondent rudiores aliqui: ex uno falso supposito, plura falsa sequi; at hi non recordantur, quòd hypothesis impossibilis sit sœpè utilis, v. g. si Spiritus Sanctus à Filio non esset, an adhuc distingueretur, &c. S. Aug. non dicit loco ci. *potuisse esse, vel non esse*, sed benè concludit, si per possibile vel impossibile esset causa naturalis, v. g. ignis, haberet effectum, sivè efficienter, sivè formaliter, & tamen effectus dependeret.

Responderet forsan quis: Deum esse causam liberam, & quà liberam tempore debere præcedere. Contra: si ex parte creaturæ non implicet, ùt deductum est, Deus in omni instanti, & pro omni instanti æqualiter est potens omnia facere.

Probatur, & declaratur tertiò signatè de successivis: si ens successivum specialiter non posset ab æterno esse, foret, quia im-

importat partem ſui unam poſt aliam, ſed hoc infert ipſum completè, id eſt ſecundùm omnes partes ſui ſimul non poſſe v. g. coëxiſtere toti æternitati inſtantaneè ſumptæ, at benè inchoätivè ſecundùm primam ſui partem, imò & durare coëxiſtendo toti æternitati totaliter ſumptæ, ità ut ſemper una pars entis ſucceſſivi correſponderet æternitati. Confirmatur: æternitas nulli tempori extrinſeco reali, vel imaginario coëxiſteret, cui etiam non coëxiſtere poſſet tale ſucceſſivum ſecundùm aliquid ſui, ùt Poncius habet: Ergò, &c.

Obijcies I. plurimi SS. Patres inſinuant, opera Dei ad extra debere aliquando non fuiſſe. Reſpondeo: illos loqui de facto, vel viâ extremâ, ut devenirent ad medium.

Inſtabis: notanter contra Arium & Arianos ſic arguunt: *Chriſtus fuit ab æterno; Ergò non eſt creatura*; ſi autem creatura potuiſſet eſſe ab æterno, illi congruè negâſſent conſequentiam. Reſpondeo ùt ſtatim, & dico: illos argumentatos eſſe ex propria Arij opinione ſic: *Secundùm te nulla creatura fuit ab æterno, aut potuit eſſe, ſed Chriſtus fuit ab æterno; Ergò pura creatura non erat.*

Obijcies II. omnis creatura eſt ens ab alio, dependens à Deo, creata, effectus poſterior causâ, &c ſynonima; ſed ſi mundus fuiſſet ab æterno, hæc creaturis non con-

convenirent, cùm æquè æternæ essent. Respondeo: hæc omnia solvi, tales creaturas dicendo fuisse posteriores Deo naturâ, non tempore, & tantùm fuisse æternas æternitate communicatâ, participatâ, dependenti, &c. non à se, ùt Deus.

Instabis: creatura debet tempore Deum sequi; Ergò solutio ruit. Probatur Antecedens: liberè producitur; Ergò debet priùs non esse, quàm esse tempore. Respondeo Negando Antecedens, ac probationis Consequentiam; vel dico, quòd *non esse* præcesserit negativè, id est, non fuisset, nisi Deus liberè produxisset; non autem positivô temporis instanti; exempla quæ afferuntur sunt de causis liberis imperfectis, qualis Deus non est.

Instabis: debuit omnis creatura priùs non esse prioritate positivâ temporis, aliàs sufficiens ratio non esset negandi mundo æternitatem, præsertim soli rationi inhærendo. Respondeo Negando sequelam; sufficit fides docens, & quòd in Deo libertas fuerit; porrò si quis mundum actu defenderet ab æterno, deberet infinitatem categorematicam admittere, & probabiliùs possibilitatem aliorum negare.

Instabis: omne instans est tempus, & omnis novitas temporanea; sed talis crea-

tura de novo & in instanti aliquo fuisset producta; Ergò nunquàm ab æterno. Respondeo Distinguendo Majorem: est tempus quod vel ab æterno, vel in tempore imaginario incœpit esse. C. necessariò tempore imaginariô. N. Si dicas, est nova, incœpit esse; Ergò non æterna. Respondeo: si per *novum* intelligas naturâ posterius causâ primâ. C. si aliud. N. hæc & similia æquivoca.

Obijcies III. ens successivum incipit per ultimum sui *non esse*; Ergò nequit esse ab æterno. Probatur Consequentia; illius *non esse* præcedit, quod sic incipit; Ergò illud nequit æternum esse. Respondeo dissimulando an verum sit universaliter Antecedens; Nego Consequentiam; probatio est distinguenda ùt suprà, illius *non esse* præcedit vel tempore vel naturâ.

Instabis: licèt tempore non præcederet illius *non esse*, tamen non posset esse ab æterno; quia dicit partem & partem sibi succedentes, & quamdiu partes non succedunt, nec pro successivo reputatur. Respondeo talia argumenta fieri ex non recta intelligentia; unde dico, ad summum inferri, completè non posse esse ab æterno. C. inchöativè N. lege probationes, & sensum Poncij in Confirmatione.

Instabis: talis creatura esset infinita, quæ

quæ foret ab æterno. Respondeo transeundo sequelam; licèt enim annihilari semper posset à Deo, tamen diceretur infinita à parte ante, vel potiùs æterna; id est sinè initio temporis, tamen ab alio. Nota quòd Gen. 1. *in principio creavit Deus*, & Joan. 1. *in principio erat Verbum*; terminus *Principium* diversimodè sumatur in Gen. pro tempore; in Joan. pro producente: quòd si quærant: an mundus durabit in æternum? Respondeo affirmativè quoad substantiam; idque ex libera Dei voluntate; & sic Ecclesiastes insinuat dicens: *terra autem in æternum stat*; si verò loquatur à parte ante, æternum sumitur pro longo tempore.

QUÆSTIO III.

An Cœli sint corruptibiles?

Dico: undecim cœli sunt naturaliter corruptibiles (de duodecimo, nempè sede beatorum, donec in eo erimus) ità ex professo contra illos, qui admittunt principia Aristotelica corporis physici; ostendam tamen etiam his principijs admissis, si non ab agente creato, saltem increato naturaliter agente corruptibiles esse. Pro cujus notitia

Suppono cœlos componi ex sensibilibus indivisibilibus quod probavi generaliter de

 omni

omni ente physico. Deinde suppono, eos esse numerò duodecim, vel sic ad hominem Probo: ubi ex duobus vel pluribus incertis numerus aliquis decidendus est, præstat quid addere, quàm diminuere; sed alij probabile putant esse tres, alij novem, alij duodecim, nec ullus plures; Ergò securiùs subscribitur numero duodenario. Tandem suppono, cœlos non esse animatos, etsi moveantur ab intelligentijs, hæ duntaxat sunt formæ ijs assistentes; neque tamen velùt imperfectiora animas viventium efficiunt, licèt aliàs diversimodè in hæc inferiora influant. His prælibatis

Probatur Primò: naturaliter corrumpi est sensibilia variari, sed cœlorum sensibilia variantur sœpissimè; Ergò &c. Respondent Negando Majorem; & dicunt significare materiam ab una forma transire ad aliam, vel saltem à *non esse formæ* ad *esse formæ novæ* transitum concomitanter importari; formaliter verò, *ipsam esse transitum ab esse formæ ad non esse formæ*. Contra: etiam corruptione sic sumptâ, cæli naturaliter sunt corrupti; Ergò & corruptibiles; quia ab actu affirmativo ad potentiam valet consequentia. Probatur Antecedens; Deus primâ die creavit omnem materiam cœli & terræ, aliàs vacuum fuisset; Ergò cœli sunt corrupti. Probatur Con-

Consequentia, illa materia primâ die creata non fuit sinè omni forma, cùm hoc naturaliter esse nequeat, imò nec divinitùs apud Thomistas; Ergò cùm Deus alijs diebus creaverit impropriè, ac eduxerit formas novas, priores sunt corruptæ, aliàs duæ formæ in eadem materia fuissent. Confirmatur: hæc probatio supponit sententiam adversariorum, quòd nec materia possit esse sinè omni forma, nec duæ formæ in una materia, quorum unum sequitur.

Responderunt mihi: talia ad hoc argumentum, ut etiam ausi fuerint dicere: non esse eandem numerô materiam in ligno & igne ex illo ligno factam, sed hi sunt spurij filij, cum quibus nolo hìc agere.

Respondent alij: primâ die fuisse formam chaôs in omni materia, & hanc alijs subordinatam mansisse, quando v. g. Deus produxit sequentibus diebus formam Solis, Lunæ &c. Contra: Thomistæ in viventibus talem nolunt admittere, quantò minùs hìc; deinde ad quid obscurus intellectus tuus tale obscurum chaôs divinat, cùm absque eo concedant plerique ex nostris cœlos esse corruptibiles ab intrinseco?

Confirmatur: dicuntur stellæ novæ in cœlis produci, non tantùm infra cœlum Lunæ, sed & supra illud, consule Astrolo-

 gos.

gos. Nec valet respondere, esse penetrationem factam, vel supernaturaliter eventum; ad quid multiplicare miracula sinè necessitate? Nec tandem saltem in ea sententia, quæ plures formas tribuit eidē subjecto, defendi posse cœlos non esse corruptos. Contra: quænam esset illa alia forma in materia solis? cùm nihil constet, sic divinationibus est supersedendum.

Probatur Secundò: cœli & terra habent principia constitutiva ejusdem rationis; Ergò quando dicuntur mutari, id non tantùm de accidentali, sed substantiali mutatione potest intelligi. Probatur Antecedens; tum quia non est necessitas fingendi diversa; tum quia omnia elementa habent materiam ejusdem rationis; tum quia primâ die Deus condidit cœlum & terram; Ergò signum est principia ejusdem rationis esse; imò & Aristotelici hìc vitiosè probant esse incorruptibiles, quia habent distinctam materiam, & hoc probant: quia sunt incorruptibiles ex 2. Metaph. & alibi.

Respondent negando suppositum: quòd dicantur mutari, vel si quid affertur explicant, esse corruptibiles ab intrinseco. C. ab extrinseco N. Contra est, quòd illi omninò principia Aristotelica supponant; ego verò permissivè his positis arguam; porrò

porrò cœli & terra mutabuntur, & omnia elementa substantialiter mutantur; Ergò & cœli; donec evidens ratio adducatur in oppositum, negantis enim, & excipientis ab universo est probare & ostendere, cur excipiantur cœli.

Obijcies plurimas authoritates, quibus exprimitur cœlos esse ære fusos, & similitudines aliæ ad incorruptibilitatem collimantes. Respondeo: illos velle, cœlos non tam facilè mutationi subjacere, hinc & Psal. 148. habetur; *statuit ea in æternum*; intellige quoad sensibilia, vel materiam in æternum duratura, vel dico totaliter non corrumpi. C. partialiter N. sic nec terra totaliter dicitur corrumpi, nec aër, sed corpora in terris.

Instabis: nullô modô cœli sunt corruptibiles ab extrinseco; Ergò &c. Probatur Antecedens: non habent contrarium, sed tale requiritur ad corruptionem; Ergò &c. Respondeo Distinguendo Antecedens cum probatione: in sententia docente sensibilia esse principia corporis physici N. in sententia Aristotelica, subdistinguo: non possunt corrumpi ab agente creato transeat, increato naturaliter agente N. Antecedens, Consequens & Consequentiam. Pro quo

Nota, hìc quæri, an motus sit cœlis na-

turalis vel violentus? ad quod Scotistæ solent dicere esse neutrum, quia locus acquisitus per motum cœlorum nec est cum nec contra inclinationem, ubi vides sensibilia mutari, at estò à creaturis, v. g. Angelis in sententia de principijs communibus moveantur tantùm accidentaliter, à Deo tamen & substantialiter; sic plurima solves, v. g. ut agens creatum corrumpat, requiri qualitates contrarias &c.

Quæres: an cœli sint fluidi ùt aquæ, vel solidi ùt metalla? Respondeo: non deesse authoritates pro utraque parte; item & astra à seipsis lumen habere, & à majori luminari illud accipere, sed de his, & de stellarum magnitudine ac omnibus pertinentibus aut tacendum, aut fusiùs debitè agendum extra Scholasticam Philosophiæ Naturalis classem.

DISPUTATIO IV.

De Generatione & Corruptione.

QUanquam ex dictis constet, quid de generatione & corruptione universim, ac etiam hinc inde singularia considerando sentiam; potissima tamen quæque alijs suppositis, ac notatis examinanda veniunt, pro quibus sit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid sit Generatio, Subjectum & Terminus ejus?

DIco: Generatio *est transitus materiæ à non esse formæ ad esse formæ*; proinde subjectum illius est materia, vel id quod gerit vices materiæ, terminus verò formalis *ad quem* est forma nova. Ita communiter, & potest adaptari non tantùm principijs communibus, sed etiam sensibilibus, intelligendo sic: quòd illa sensibilia quæ manent, mutentur *à non esse* talium sensibiliũ, quæ per immutationem adveniunt, *ad esse eorum*: porrò sic describitur generatio quatenus est mutatio; si verò consideretur in ratione productionis, subjectum productionis activæ est generans, passivæ ipse effectus vel compositum generatum, quod est terminus totalis & adæquatus.

Declaratur quoad singula. Dicitur *primò* quòd *subjectum generationis ùt mutatio est, sit materia*: quod intellige de subjecto informationis, id est, quod denominatur; tum quia compositum non dicitur mutari, nec aliud; Ergo materia; tum quia motus est in mobili ex 3. Phys. Dicitur *secundò*, quòd *terminus formalis sit forma nova*, illud enim est terminus quod acquiritur, atqui sola forma acquiritur: Ergò &c.

Confirmatur: compositum est terminus totalis generationis quà productio est; Ergò non formalis quà mutatio. Antecedens declaratur: quia compositum ab agente intenditur, unde licèt forma sit terminus primarius in executione, ipsum compositum tamen in intentione. Dicitur *tertiò, si verò consideretur in ratione productionis* &c. vide tractatum præcedentem ubi de causalitate actum est.

Obijcies: compositum dicitur subjectum commune accidentium; Ergò motus, qui est accidens, non est in materia, sed composito. Respondeo Distinguendo Antecedens: absolutorum. C. relativorum, quale est motus. N. Antecedens & Consequentiam.

Instabis: estò motus sit accidens relativum, nequit subjectari in materia; Ergò, &c. materia non dicitur generari; Ergò nullô modô potest esse subjectum generationis. Respondeo Negando Antecedens; Probationis Consequens Distinguo: generationis quà est productio. C. quà mutatio. N. quas formalitates si observaveris, facilè adversantia conciliabis.

Occurrunt hìc nonnullæ difficultates ab alijs abundè tractatæ & minoris emolumenti, quas proinde obiter percurram.

Quæres *primò*: quænam in generatione vi-

viventis activè concurrant? Respondeo; & pater & mater, asinus enim non producit nisi asinum, cum equa tamen mulum generat; deinde aliàs Christus verè non esset filius hominis si B. V. Maria activè eum non produxisset. Quòd si dicant Christum sinè semine natum, de virili puta, lege Ven. Bedam in cap. 11. Lucæ.

Quæres *secundo*: an generatio fiat in instanti? Respondeo: etsi anima rationalis instantaneè producatur & corpori uniatur, reliquas tamen productiones esse successivas pro substrato ac materiali; nam omnis relatio exurgit eô instanti, quô sunt extrema: totum quod dico patet ex eo, quòd sicùt dispositiones successivæ sunt, ità & forma inducitur sæpè in prima parte disposita, dum adhuc posteriores partes præparantur; de sensibilibus ad oculum patet.

Quæres *tertiò*: quid sit Alteratio? Respondeo: *esse mutationem continuam ab una qualitate ad alteram sibi divisibiliter oppositam, præcedentem generationem.* Hæc responsio supponit principia communia, & insinuat, non quamcunque qualitatum mutationem dici propriè alterationem, sed eam quæ præcedit ùt dispositio generationem; insuper quòd qualitates debeant esse divisibiles, & licèt intercedant morulæ per sensus

ſus imperceptibiles, non omnis interpoſitio tollit rationem continui, aliàs nullus daretur motus continuus, cùm omni veloci detur velocius; ſed requiritur interruptio cum diverſitate termini communis: tandem inſinuatur quòd alteratio in via communi non ſit ipſa corruptio, nequidem in ſenſu concomitanti, quia etſi *generatio unius ſit corruptio alterius*, hoc non verificatur in ſenſu formali, ſed concomitanti; Ergò alteratio magìs ab una vel altera diſtinguenda eſt.

Quæres *quartò*: quid ſit Nutritio, & Augmentatio? Reſpondeo: nutritionem *eſſe acquiſitionem novæ ſubſtantiæ partialis, aliquando verò & novæ quantitatis*; & tunc vocatur *augmentatio*; unde hi ſunt termini ferè minùs & magìs communes; nam nulla eſt augmentatio, ubi non eſt nutritio, dum enim creſcit homo, vel brutum, etiam forma creſcit, puta in homine corporeitatis, in brutis verò & illa & animæ; econtrà ſenes nutriuntur & ampliùs non augmentantur. Si petas, quænam partes nutriantur, ſubſcribo communiori, quòd & ſpermaticæ, id eſt molles ac fluidæ & ſolidæ v.g. oſſa, nervi, &c.

Quæres *quintò*: an detur, & quid ſit Actio per anti-periſtaſin? Reſpondeo: quòd ſit actio, quâ intenditur qualitas alicujus

cujus ſubjecti propter circumſiſtentiam qualitatis contrariæ, v. g. quia in hyeme ſpiritus aërei frigidi circumſedent puteum, & impediunt nè ſpiritus calidi exire poſſint, ideo aqua putealis in hyeme eſt calidior quàm in æſtate. Si petas, quid ſit Actio reflexa, Reactio, Temperamentum ad pondus, &c. vide Authores, Medicos, Chimicos, &c.

QUÆSTIO II.

Quomodo fiat intenſio alicujus qualitatis?

DIco: intenſio fit per realem acquiſitionem alicujus novæ qualitatis partialis in priori ſubjecto. Ita plauſibiliter Scotus cum ſuis & RR. plurimi contra Thomiſtas ac varios extraneos. Senſus eſt: quando aliqua qualitas v.g. calor in aqua fit major, quomodo hoc fiat? & dicimus, fieri ſic, quòd prior calor maneat & illi novi, & novi gradus caloris accedant.

Probatur primò refutatione aliorum: intenſio non fit per minorem admixtionem contrarij, quia qualitates ſpirituales v.g. lumen gloriæ, &c. non habent contrarium, & tamen intenduntur.

Reſpondent: quæſtionem eſſe de qualitatibus phyſicis. Contra: nec illæ ſic intenduntur, præterquam enim, quòd modus

dus communis ſtatui poſſit ac ritè debeat pro omni qualitate, aqua per hoc non fit calida, quòd recedat à frigore, quia poſſet eſſe ſinè frigore & calore.

Reſpondent: per *contrarium* non ſumi ſtrictè ac poſitivè contrarium, ſed receſſum à privatione, & ſic quoque ſpiritualibus convenit. Contra: tollere frigus formaliter non eſt calefacere; tum quia ſimùl divinitùs poſſent manere; tum quia frigus poſſet recedere, non adveniente calore, tum tandem, quia etſi ad majorem calorem conſequatur ordinariè receſſus à frigore, formaliter tamen in eo non conſiſtit.

Deinde intenſio non fit per majorem radicationem formæ in ſubjecto; nec aliô modô; Ergò per acquiſitionem realem gradûs ad gradum ejuſdem qualitatis: Probatur Antecedens; aliquæ formæ intenduntur minùs radicatæ in ſubjecto; Ergò, &c. Probatur Antecedens; rubor verecundiæ in vultu eſt minùs radicatus quàm naturalis, quia citiùs perit, & tamen ſolet eſſe intenſior naturali.

Inſuper, vel per talem radicationem aliquid qualitatis producitur, vel nihil; ſi primum, lis erit de nomine; ſi ſecundum, quantumcunque albedo ùt duo radicabitur, ſemper manebit albedo ùt duo; Ergò non intenditur per talem radicationem.

Rur-

Rursùs qualitas non dicitur radicari in subjecto, nisi quòd illi inhæreat, & ipsum denominet, sed hoc uni etiam minùs intensæ æquè convenit, ac summæ; Ergò, &c. Tandem nec ipsi Thomistæ convenire possunt, quid hoc significet ampliùs radicari in subjecto.

Probatur secundò: in his quæ sensibus patent, oportet & modum sensibus faciliorem insinuare, qui tamen principijs philosophiæ non obstet, sed qualitates intendi sensibus patet v.g. calorem in aqua successivè fieri vehementiorem; & dicere, quòd hoc fiat paulatim majorem & majorem intensivè calorem accipere, ad captum est facillimum, nec obest ulli principio philosophico, ùt ex objectionibus patebit; Ergò, &c. Confirmatur: alij concomitantia afferunt, modos novos radicationis effingunt, &c.

Obijcies I. calor est qualitas, sed hic non intenditur per acquisitionem gradûs ad gradum; Ergò intensio non fit tali modô. Probatur Minor: ex calido fit magìs calidum nullô calidô adveniente, ùt habet Arist. Ergò calor hic non intenditur.

Respondeo Negando Minorem; Probationem vel textum Distinguo: nullô calidô simpliciter adveniente. C. nullô partiali vel *secundùm quid* adveniente. N. nam aliqui

qui volebant tali casu priorem calorem perire, & semper totaliter novum afferri.

Instabis: nec intensio fit per acquisitionem novæ qualitatis *secundùm quid*; Ergò, &c. Probatur Antecedens: aliquæ qualitates sunt indivisibiles v. g. lumen gloriæ, gratia, &c. Ergò illæ non possunt intendi per similem acquisitionem. Respondeo Negando Antecedens primum; secundum Distinguo; sunt indivisibiles extensivè & quantitativè. C. Antecedens. intensivè. N. Antecedens, & Consequentiá.

Instabis: etiamsi intensivè possent dividi, hoc tamen nequit fieri per additionem novæ qualitatis. Nec dicas, ùt suprà, *simpliciter* novæ. C. *secundùm quid*. N. Contra est, quòd illi gradus essent diversi, sed unum subjectum non habet diversos calores v. g. Ergò, &c. Respondeo: istos gradus debere dici diversos numericè, at specificè esse homogeneos, id est ejusdem rationis.

Instabis: non possunt esse plura accidentia solô numerô distincta in eodem subjectò, sed ex concessis isti gradus essent ad minùs numerô distincti; Ergò, &c. Probatur Major, quæ est fundamentum Thomistarum; accidens iudividuatur à subjectò; Ergò, &c. Respondeo Negando Majorem, nam in Logica Utente principium in-

individuationis docui esse hæcceitatem. Si dicas, non possunt duo ubi, duæ quantitates, duæ figuræ esse in uno subjecto; Ergò per inductionem nunquam duo accidentia naturaliter erunt in eodem subjecto. Respondeo Negando Consequentiam; in his enim extrinseca determinativa individui aliter se habent, v. g. duæ figuræ haberent eundem finem, duo *ubi* defectu agentis naturalis acquiri non possunt, &c.

Obijcies II. si intensio fieret per acquisitionem realem novæ qualitatis; simile posset agere in simile; hoc dici nequit; Ergò, &c. Minor est communis, licèt sint dissimilia in densitate, si unum est alteri simile in qualitate, quòd in illud agere non possit; quia agens agit, in quantum frangit resistentiam passi. Sequela Majoris Probatur: habens v. g. 4. gradus caloris, posset alteri habenti 4 gradus unum communicare, illud nempe intendendo; imò aër minùs calidus aquâ illam condensat, vel congelat. Respondeo Negando sequelam cum Probatione; quàm diu enim erunt æqualia, nihil unum ab alio patietur; quòd additur de aëre, solves dicendo, quòd vel sit frigidior, vel cum influentijs hyberno tempore dominantibus congelet aquas.

Obſervandum eſt autem: quòd non ſignificet idem, *non poſſe agere ſimile in ſimile*; & *non dari actionem univocam*; nam homo generat hominem,&c. univocè fiunt; ſed ſignificare activitatem agentis debere poſſe ſuperare paſſi reſiſtentiam; adhuc tamen idem in ſeipſo actionem univocam habere nequit, nè ad ſummum aliquando deveniret. Colliges: remiſſionem oppoſitô modô intenſioni fieri.

QUÆSTIO III.

Quomodo fiat Rarefactio?

DIco: Rarefactionem fieri per acquiſitionem novæ partialis quantitatis, ſinè acquiſitione novæ ſubſtantiæ. Ita ex profeſſo contra plurimos modernos philoſophos, qui variè anguſtiantur in explicando rarefactionis fabricam.

Probatur primò refutatione aliarum ſententiarum: *primò*, rarefactio non fit novam totalem quantitatem acquirendo; tum quia nec intenſione nova totalis qualitas acquiritur; tum quia quantitas eſt ſubjectum accidentium, atqui manent eadem accidentia, & hæc nequeunt migrare de ſubjecto in ſubjectum; Ergò & eadem quantitas. Major conſtabit alibi. Minor Probatur quoad primam partem contra Godfredum dicentem, non eſſe eadem acci-

accidentia quia: nulla eſt cauſa productiva eorum.; deinde quando lac rareſit manent color, ſapor, &c. quoad alteram partem eadem Minor communiter admittitur.

Deinde nec rarefactio fit abſque additione novæ alicujus quantitatis, ſed illa quæ additur non eſt totalis; Ergò partialis. Probatur Major: videmus rarefacta v.g. lac occupare majorem locum; Ergò debet aliqua nova quantitas addi. Probatur Conſequentia: *ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ità ſecundùm quid ad ſecundùm quid*, ſed ratio occupandi locum corporaliter quantitas eſt ſimpliciter; Ergò ratio occupandi majorem locum, erit major quantitas.

Reſpondent Diſtinguendo Minorem: quantitas eſt ratio ſimpliciter occupandi locum tanquam per effectum ſecundarium. C. primarium. N. & hi Authores cum Maſtrio docent, rarefactionem fieri, dum eadem quantitas manet & majorem localem extenſionem habet. Contra: libenter concedo, quòd occupare locum circumſcriptivè ſit effectus ſecundarius; ſed ſic arguo: ratio, cur aliquid ſimpliciter locum circumſcriptivè occupet, eſt quantitas exercens effectum ſecundarium; Ergò ratio, cur aliquid occupet locum tantum,

 eſt

eſt quantitas tanta exercens effectum ſecundarium, adeoque ubi eſt major quantitas, ibi major effectus ſecundarius à priori; & ubi eſt major effectus ſecundarius, ibi major quantitas à poſteriori, naturaliter loquendo utì fit rarefactio.

Confirmatur: ex hac ſententia,quæ docet nihil quantitatis addi, ſequitur vel partes prius eſſe penetratas, vel poſſe ſe extendere ad alium locum, præter eum qui eſt adæquatus potentiæ naturali; quando enim lac eſt in olla ante rarefactionem, vel partes quantitatis ſunt penetratæ,vel non?

Reſpondere debent, non eſſe quidem penetratas, ſed ſervando locum ſuum poſſe extendi ad alium vicinum, non diſparatum. Contra: prior quantitas non perditur; Ergò nec prior locus, nec poteſt vicinum majorem locum acquirere niſi & fiat nova quantitas, aliàs manet, quòd idem corpus poſſit eſſe in duobus locis vicinis. Nec dicas: per rarefactionem. C. ſinè illa N. Contra: ſic etiam dicam, per augmentationem & nutritionem nihil acquiri, ſed priorem ſubſtantiam & quantitatem majorem locum accipere, & ſtringit fortiùs ratio ſuppoſita.

Reſpondent alij: ad argumentum principale: acquiri novam partialem quantitatem nudam. N. & ſimul novum partiale ſub-

ſubjectum. C. Contra: quando lac eſt rarefactum, non eſt plus lactis quoad ſubſtantiam, quàm priùs; Ergò non ſimul novum ſubjectum vel ſubſtantia acquiritur. Probatur Antecedens: quis enim produceret? Item Ariſt. inquit: *rarum eſt, quod habet parum materiæ, & multum quantitatis.*

Reſpondent: non acquiri novam ſubſtantiam rarefacti. C. non ingredi corpuſcula, quæ ſint ſubjectum novæ quantitatis. N. & ſic Ariſtotelem explicant, quòd habet parum materiæ propriæ. C. corpuſculorum. N. ac dicunt, quædam corpuſcula ingredi, quibus illa nova quantitas inhæret. Contra: lac, v g. rarefieri videmus; Ergò ipſum lac acquirit majorem quantitatem, & non alia corpora.

Reſpondent: lac rarefieri per ingreſſum corpuſculorum intra poros lactis. Contra: vel illa corpuſcula ſunt accidens, vel ſubſtantia; & ſi hoc, vel diſtincta à lacte, v. g. vel non; quidquid dicitur, multipliciter impugnari poteſt ex his; quòd accidens aliud non ſit ſubjectum quantitatis, & duæ ſubſtantiæ diſcontinuæ non habeant eandem quantitatem; deinde tali caſu per totam ollam ſunt accidentia lactis; Ergò nec intrà nec extrà poros eſt ſubſtantia diſtincta à lacte &c.

Respondent aliqui: in rarefactione, v. g. lactis ipsum tantùm elevari, nec esse plus lactis nec quantitatis; & dicunt, tali casu ollam inferiùs fore vacuam, sed hoc sensibus & experentiæ constat; sæpè enim superior pars rarefit ante inferiores.

Probatur ex his tertiò: tùm quia favet Philosophus; tùm quia connaturalior modus est; tum fundamentum oppositæ sententiæ evertendo, ùt solutione objectionis patebit; imò alij fatentur nostram sententiam esse optimam, si sequens difficultas solvi posset.

Obijcies: accidens non potest esse sinè subjecto naturaliter; Ergò in rarefactione nequit produci nuda partialis quantitas. Probatur Consequentia: illa nova quantitas esset accidens, & non haberet subjectú; Ergò &c. Probatur Antecedens quoad secundam partem: de prima patet; si illa nova quantitas haberet subjectum, esset entitas rarefacti vel aliud, sed nihil dici potest; non aër, non corpuscula ùt videtur colligi ex probationibus, nec entitas rarefacti, quia hæc antecedenter subjectavit quantitatem, quæ non perit: Ergò nequit esse subjectum illius novæ quantitatis. Probatur Consequentia: aliàs duæ quantitates naturaliter essent in eodem subjecto. hic est Achylles. Respondeo Di-

stin-

ſtinguendo ultimam ſequelam: eſſent duæ quantitates in eodem ſubjecto non extenſo, non rarefacto. N. extenſo & rarefacto. C. vel ſubdiſtinguo, partiales. C. totales Nego ſequelam.

Inſtabis: eſſent duæ quantitates in eodem ſubjecto non extenſo; Ergò, &c. Probatur Antecedens: ſubjecti entitas non augetur ſimul; Ergò, &c. Reſpondeo Negando Antecedens; Probationem Diſtinguo: non augetur entitativè. C. quantitativè. N. quia ſubſtantia ex ſe non dicitur magna, nec parva, ſed ratione ſolius quantitatis.


Inſtabis: etſi hoc haberet locum in habentibus formas indiviſibiles; non tamen ubi & formæ ſunt diviſibiles; cùm ibi quantitas ſubjectetur in toto compoſito, quod eſt diviſibile, cui proinde quantitas proportionatur. Reſpondeo: admiſſis principijs communibus illa compoſita dici diviſibilia entitativè. C. quantitativè. N. vel ſubdiſtinguo: ratione ſui. N. ratione quantitatis. C. hinc Ariſtoteles benè dixit: *materia vel forma non eſt quanta*, imò nec compoſitum, niſi ratione illius accidentis abſoluti, id eſt quantitatis, quæ illi inhæret.

Inſtabis: Ergò unum idémque corpus habens v. g. modò quantitatem palmarem,

rem, poſſet fieri bipalmare; imò & quantitate totius univerſi. Reſpondeo: hoc fieri fortè poſſe divinitus; at de facto omnia menſuram habent prout Altiſſimus ordinavit: pro ſimilibus alijs ſolvendis ex principijs ipſis adverſariorum recollige; quid per materiam, formam, &c. intelligant; Ego verò, à primo ad ultimum, & viciſſim, mirabundus Phyſicam Scholaſticam ob principia iſta Ariſtotelica, quæ non capio, nec permittam ut me capiant, concludo in Nomine Domini, gratias agens D. O. M. pro viribus hactenus conceſſis; & licèt corpore langueam, animus tamen altiſſima metaphyſicæ principia ſpeculari anhelat; Ora pro me amice Lector, ut mea & tua mecum merces ſit in cœlis.



IN-



INDEX CONTENTORUM.

Prologus in Physicam.

DISPUTATIO UNICA.
De Quidditate, Qualitate, & Fine Physicæ.

TRACTATUS I.
In Primum Librum Physicorum.
DISPUTATIO I.
De Principijs entis sensibilis.

principia. 2. Quot, & quæ ſint principia entis ſenſibilis. 3. An revera detur Materia prima Ariſtotelica, ac Forma ſubſtantialis.

DISPUTATIO II.

De Materia Prima.

Quæſtio 1. An Materia prima haberet actum entitativum. 2. An materia prima poſſet exiſtere ſinè omni forma ſubſtantiali. 3. Quomodo materia appeteret formas ſubſtantiales.

DISPUTATIO III.

De Forma ſubſtantiali.

Quæſtio 1. An & quomodo formæ educerentur è potentia materiæ. 2. An detur forma corporeitatis. 3. An plures formæ ſubſtantiales poſſint eſſe in eadem

dem materia; & una forma in pluribus materijs.

DISPUTATIO IV.

De Composito, Unione, & Privatione.

Quæstio 1. An totum essentiale physicum distinguatur à partibus. 2. An & quid sit Unio in composito substantiali. 3. An, quando, & quomodo Privatio dicatur principiare.

TRACTATUS II.

In secundum Librum Physicorum.

DISPUTATIO I.

De Caussis in communi.

Quæstio 1. Quid sit causa in communi. 2. Quotuplex sit causa

ſa in communi. 3. Quid ſit cauſalitas in actu primo, & ſecundo.

DISPUTATIO II.

De Cauſa Efficiente, Finali, Inſtrumentali, & Ideali.

Quæſtio 1. quid & quotuplex ſit cauſa Efficiens. 2. Quid & qualis ſit cauſa Finalis. 3. Quid ſit cauſa Inſtrumentalis & Exemplaris.

DISPUTATIO III.

De Cauſa Efficiente Creata.

Quæſtio 1. An accidens poſſit producere ſubſtantiam. 2. An idem effectus poſſit produci à duabus cauſis totalibus efficientibus. 3. An detur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

DISPUTATIO IV.

De Causa efficiente Increata, vel Deo.

Quæstio I. An Causa prima concurrat immediatè ad omnes actiones creaturarum. 2. An Causa prima prædeterminet secundam physicè ad agendum. 3. A qua causa proveniat determinatio effectûs quoad speciem ac individuum.

TRACTATUS III.

In reliquos sex Libros Physicorum; In Libros de Cœlo, & Mundo; Generatione; & Corruptione.

DISPUTATIO I.

De Motu, Loco, & Vacuo.

Quæstio I. Quid sit Motus, Locus, & Vacuum. 2. An duo cor-

corpora possint esse simul in eodem loco. 3. An unum corpus possit simul esse in duobis locis.

DISPUTATIO II.

De Infinito , Continuo , & Duratione.

Quæstio 1. Quid & quotuplex sint Infinitum , Continuum & Duratio. 2. An sit possibile Infinitum categorematicum. 3. An Continuum componatur ex solis indivisibilibus.

DISPUTATIO III.

De Mundo & Cœlo.

Quæstio 1. Quid, & qualis sit Mundus, & quando factus. 2. An Mundus potuisset fieri ab æterno. 3. An Cœli sint corruptibiles.

DISPUTATIO IV.

De Generatione & Corruptione.

Quæſtio 1. Quid ſitGeneratio, ſubjectum, & terminus ejus. 2. Quomodo fiat intenſio alicujus qualitatis. 3. Quomodo fiat rarefactio.

Continentur ſparſim dubia quædam, ex quorum ſolutione cætera, ſi quæ videntur deeſſe, facilè comprehendi poſſunt.

O. A. M. D. G.



